

The Project Gutenberg eBook of Omnia Opera Sancti Patricii, by Saint Patrick

This ebook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this ebook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

Title: Omnia Opera Sancti Patricii

Author: Saint Patrick

Release date: April 28, 2014 [EBook #45527]

Language: Latin

*** START OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK OMNIA OPERA SANCTI PATRICII ***

Produced by Michael Gray, Archdiocese of Portland in Oregon

Omnia Opera Sancti Patricii

All the Works of Saint Patrick
In the Original Latin

Scripti Sancto Patricio:

Confessio
Epistola Ad Coroticum
Synodus Episcoporum Patricii, Auxilii et Issernini
Proverbia Aliqua
Canones S. Patricio Ascripti

Attributi Sancto Patricio:

Synodus S. Patricio Attributi
Canones Alii S. Patricio Attributi
Charta S. Patricii
De Tribus Habitaculis Liber
Liber De Duodecim Abusionibus Saeculi

S. PATRICII CONFESSIO, IN EPISTOLA AD HIBERNOS EXPLICATA.

—

I. Ego Patricius peccator, rusticissimus et minimus omnium fidelium, et contemptibilissimus apud plurimos, patrem habui Calpornium diaconem, filium quondam Potiti presbyteri, qui fuit in vico Bonavem Taberniæ: villulam Enon prope habuit, ubi capturam dedi. Annorum eram tunc fere sedecim. Deum verum ignorabam; et Hiberione in captivitate adductus sum, cum tot millibus hominum, secundum merita nostra, quia a Deo recessimus et præcepta ejus non custodivimus, et sacerdotibus nostris non obedientes fuimus, qui nostram salutem admonebant: et Dominus induxit super nos iram animationis suæ, et dispersit nos in gentibus multis, etiam usque ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas mea esse videtur inter alienigenas. Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel sero rememorarem delicta mea, et ut converterer toto corde ad Dominum Deum meum; qui respexit humilitatem meam, et misertus est adolescentiæ et ignorantiae meæ, et custodivit me antequam scirem

eum, et antequam saperem vel distinguerem inter bonum et malum, et munivit me et consolatus est me, ut pater filium.

II. Unde autem tacere non possum, neque expedit quidem, tanta beneficia et tantam gratiam quam mihi (Dominus præstare) dignatus (est) in terra captivitatis meæ: quia hæc est retributio nostra, ut post correctionem vel agnitionem Dei exaltaremur, et confiteremur mirabilia ejus coram omni natione quæ est sub omni cælo: quia non est alius Deus, nec unquam fuit nec erit post hunc, præter Deum Patrem ingenitum sine principio, a quo est omne principium, omnia tenens, ut diximus: et hujus Filium Jesum Christum, quem cum Patre scilicet fuisse semper testamur, ante originem sæculi, spiritualiter apud Patrem, inenarrabiliter genitum ante omne principium, et per ipsum facta sunt visibilia et invisibilia, hominem factum devicta morte, in cælos ad Patrem receptum. Et dedit illi omnem potestatem *super omne nomen cælestium et terrestrium et infernorum, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus et Deus est Jesus Christus (Philip. II, 10, 11)*: quem credimus, et exspectamus adventum ipsius; mox futurus judex vivorum et mortuorum, qui reddet unicuique secundum facta sua, et infudit in nobis abunde Spiritus sancti donum et pignus immortalitatis, qui facit credentes et obedientes, ut sint filii Dei Patris et cohæredes Christi, quem confitemur et adoramus, unum Deum in Trinitate sacri nominis. Ipse enim dixit per prophetam: *Invoca me in die tribulationis tuæ, et liberabo te, et magnificabis me (Jer. XXIX, 12; Psal. LXXX, 8)*. Et iterum inquit: *Opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est (Tob. XII, 7)*.

III. Tamen etsi in multis imperfectus sum, opto fratres et cognatos meos scire qualitatem meam, ut possint perspicere votum animæ meæ. Non ignoro testimonium Domini mei qui in psalmo testatur: *Perdes eos qui loquuntur mendacium (Psal. V, 7)* et iterum: *Os quod mentitur occidit animam (Sap. I, 11)*. Et idem Dominus in Evangelio inquit: *Verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii (Matth. XII, 36)*. Unde autem vehementer (debueram) cum timore et tremore metuere hanc sententiam in die illa, ubi nemo poterit se subtrahere vel abscondere, sed omnes omnino reddituri sumus rationem etiam minimorum peccatorum ante tribunal Christi Domini. Quapropter olim cogitavi scribere, sed usque nunc hæsitavi. Timui enim ne inciderem in linguam hominum: et quia non legi, sicut cæteri qui optime itaque jure et sacras litteras utroque pari modo combiberunt, et sermonem illorum ex infantia nunquam mutaverunt, sed magis ad perfectum semper addiderunt.

IV. Nam sermo et loquela nostra translata est in linguam alienam, sicut facile potest probari ex saliva scripturæ meæ, qualiter sum ego in sermonibus instructus atque eruditus; quia inquit Sapiens: *Per linguam dignoscitur et sensus, et scientia, et doctrina veritatis (Eccli. IV, 29)*. Sed quid prodest excusatio juxta veritatem, præsertim cum præsumptione? quatinus modo ipse appeto in senectute mea, quod in juventute non comparavi, quia obstiterunt (peccata mea) ut confirmarem quod ante non perlegeram. Sed quis me credit? Etsi dixero quod ante præfatus sum; adolescens, imo pene puer imberbis capturam dedi, antequam scirem quid peterem, vel quid vitare debueram. Unde ego hodie erubesco et vehementer pertimeo denudare imperitiam meam, quia diserti brevitate sermonis explicare nequeo, sicut spiritus gestit et animus, et sensus monstrat et affectus. Sed si itaque datum mihi fuisset sicut cæteris, verumtamen non silerem propter retributionem. Et si forte videtur apud aliquantos me in hoc præponere cum mea incitia et tardiori lingua (scriptum est enim: *Linguæ balbutientes velociter discent loqui pacem [Isai. XXXII, 4]*), quanto magis nos appetere debemus qui sumus, inquit, *Epistola Christi, in salutem usque ad ultimum terræ, etsi non diserta, sed rata et fortissime scripta in cordibus vestris, non atramento, sed Spiritu Dei vivi (II Cor. III, 2, 3)*.

V. Et iterum Spiritus testatur: *Et rusticatio ab Altissimo creata est (Eccli. VII, 16)*. Unde ego primus rusticus perfuga, indoctus scilicet qui nescio in posterum providere: sed scio illud certissime, quia utique priusquam humiliarer, ego eram velut lapis qui jacet in luto profundo: et venit qui potens est, et in sua misericordia sustulit me; et quidem scilicet sursum allevavit et collocavit me in summo pariete. Et inde fortiter debueram exclamare, ad retribuendum quoque aliquid Domino ei pro tantis beneficiis ejus, hic et in æternum, quæ mens hominum æstimare non potest. Unde autem admiramini *magni et pusilli qui timetis Deum (Apoc. XIX, 5)*, et vos ignari Domini rhetorici: audite ergo et scrutamini quis me stultum excitavit de medio eorum qui videntur sapientes esse et legis periti, et potentes in sermone et in omni re. Et me quidem detestabilem hujus mundi præ cæteris inspiravit, etsi talis essem: dummodo autem ut cum metu et reverentia et sine querela fideliter prodessem genti ad quam caritas Christi transtulit, et donavit me in vita mea, si dignus fuero: denique, ut cum humilitate et veraciter deservirem illis.

VI. In mensura itaque fidei Trinitatis oportet distinguere et sine reprehensione periculi notum facere donum Dei et consolationem æternam, ac sine timore fiducialiter Dei nomen ubique expandere, ut etiam post obitum meum Gallicis relinquerem fratribus et filiis meis quos ego in Domino baptizavi, tot millia hominum. Et non eram dignus neque talis, ut hoc Dominus servulo suo concederet; et post ærumnas et tantas moles, post captivitatem, post annos multos, in gentem illam tantam gratiam mihi donaret, quod ego aliquando in juventute mea nunquam speravi neque cogitavi. Sed postquam Hiberionem deveneram, quotidie (igitur) pecora pascebam et frequens in die orabam, magis ac magis

accedebat amor Dei et timor ipsius, et fides augebatur, et spiritus augebatur, ut in die una usque ad centum orationes, et in nocte prope similiter; ut etiam in silvis et monte manebam, et ante lucem excitabar ad orationem per nivem, per gelu, per pluviam: et nihil mali sentiebam, neque ulla pigritia erat in me, sicut modo video, quia tunc in me spiritus fervebat. Et ibi scilicet quadam nocte, in somno audivi vocem dicentem mihi: Bene jejunas, cito iturus ad patriam tuam. Et iterum post paululum tempus, audivi responsum dicens mihi: Ecce navis tua parata est. Et non erat prope, sed forte habebat ducenta millia passus: et ibi nunquam fueram, nec ibi notum quemquam de hominibus habebam.

VII. Et deinde postmodum conversus sum in fugam, et intermisi hominem cum quo fueram sex annis. Et veni in virtute Domini qui viam meam ad bonum dirigebat, et nihil metuebam donec perveni ad navem illam. Et illa (die) qua perveni, profecta est navis de loco suo, et locutus sum, ut haberem unde navigarem cum illis. Et gubernatori displicuit, et acriter cum indignatione respondit: Nequaquam tu nobiscum appetas ire. Et cum hæc audissem, separavi me ab illis, ut venirem ad tuguriolum ubi hospitabam; et in itinere cœpi orare, et antequam orationem consummare, audivi unum ex illis fortiter exclamantem post me: Veni cito, quia vocant te homines isti. Et statim ad illos reversus sum; et cœperunt mihi dicere: Veni quia ex fide recipimus te; fac nobiscum amicitiam, quomodo volueris. Et in illa die itaque repuli fugere propter timorem Dei. Verumtamen speravi ab illis, ut mihi dicerent: Veni in fide Jesu Christi; quia gentes erant. Et hoc obtinui cum illis (et protinus navigavimus).

VIII. Et post triduum terram cepimus, et viginti octo dies per desertum iter fecimus, et cibus defuit illis, et fames invaluit super eos. Et alia die cœpit gubernator mihi dicere: Quid, Christiane, dicis: Deus tuus magnus et omnipotens est? Quare ergo non potes pro nobis orare, quia nos fame periclitamur? Difficile est enim ut aliquem hominem unquam videamus. Ego enim evidenter dixi illis: Convertimini ex fide et ex toto corde ad Dominum Deum nostrum, quia nihil est illi impossibile, ut hodie cibum mittat vobis in viam vestram, usque dum satiamini: quia ubique abundat illi. Et adjuvante Deo, ita factum est. Ecce grex porcorum in via ante oculos nostros apparuit: et multos ex illis interfecerunt, et ibi duas noctes manserunt bene refecti; et carne eorum relevati sunt, quia multi ex illis defecerunt, et secus viam semivivi derelicti sunt. Et post hæc summas gratias egerunt Deo, et ego honorificatus sum sub oculis eorum.

IX. (Et ex hac die abundanter cibum habuerunt.) Etiam mel silvestre invenerunt, et mihi partem obtulerunt. Et unus ex illis dixit. Hoc immolalitium est. Deo gratias exinde nihil gustavi. Eadem vero nocte eram dormiens, et fortiter tentavit me satanas, cujus memor ero quandiu fuero in hoc corpore. Et cecidit super me veluti saxum ingens, et nihil membrorum meorum prævalens. Sed unde mihi venit, ignoro, in spiritum ut Heliam vocarem. Et inter hæc vidi in cœlo solem oriri; et dum clamarem: Heliam! Heliam! totis viribus meis, ecce splendor solis decidit super me, et statim discussit a me omnem gravitudinem. Et credo quod a Christo Domino meo (subventus sum, et Spiritus ejus jam tunc) clamabat pro me, et spero quod sic erit in die pressuræ meæ, sicut in Evangelio inquit (In illa die) Dominus (testatur): *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. X. 20).*

X. Et iterum post annos (non) multos adhuc captivam dedi. Ea nocte prima itaque mansi cum illis. Responsum autem divinum audivi dicens mihi: Duos menses eris cum illis; quod ita factum est. Nocte illa sexagesima liberavit me Dominus de manibus eorum. Ecce in itinere providit nobis cibum et ignem, et siccitatem quotidie: donec quarto decimo die pervenimus ad homines. Sicut superius insinuavi, viginti et octo dies per desertum iter fecimus, et ea nocte qua pervenimus ad homines, de cibo vero nihil habuimus. Et iterum post paucos annos in Britanniiis eram cum parentibus meis, qui me ut filium susceperunt: et ex fide rogaverunt me, ut vel modo ego (post tantas tribulationes quas pertuli) nunquam ab illis discederem. Et ibi scilicet vidi in visu nocte virum venientem quasi de Hiberione cui nomen Victoricius, cum epistolis innumerabilibus: et dedit mihi unam ex illis, et legi principium epistolæ continentem: *Vox Hiberionacum*. Et dum recitabam principium epistolæ, putabam ipso momento, audire vocem ipsorum qui erant juxta silvam Focluli, quæ est prope mare Occidentale. Et sic exclamaverunt quasi ex uno ore: Rogamus te, sancte puer, ut venias et adhuc ambules inter nos. Et valde compunctus sum corde, et amplius non potui legere, et sic expergefactus sum. Deo gratias, quia post annos plurimos præstitit illis Dominus secundum clamorem eorum.

XI. Et alia nocte, nescio, Deus scit, utrum in me, an juxta me, verbis peritissimis quæ ego audivi et non potui intelligere, nisi ad postremum orationis sic affatus est: *qui pro te animam suam posuit*. Et sic expergefactus sum gaudibundus. Et iterum vidi in me ipsum orantem, et eram quasi intra corpus meum: et audivi super me, hoc est, super interiorem hominem; et ibi fortiter orabat gemitibus. Et inter hæc stupebam, et admirabar, et cogitabam quis esset qui in me orabat. Sed ad postremum orationis sic effatus est, ut sit spiritus. Et sic experrectus sum, et recordatus sum, Apostolo dicente: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostræ orationis. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. VIII, 26), quæ verbis exprimi non possunt. Et iterum: Dominus advocatus noster postulat pro nobis (Ibid., 34).* Et quando tentatus sum ab aliquantis senioribus meis qui venerunt, ob peccata mea, contra laboriosum episcopatum meum: utique in illo die fortiter impulsus sum ut caderem hic et in æternum. Sed Dominus pepercit proselyto et peregrino propter nomen suum

benigne; et valde mihi subvenit in hac conculcatione, quod in labem et in opprobrium non male deveni. Deum oro ut non illis in peccatum reputetur occasio: nam post annos triginta invenerunt me, et adversus verbum quod confessus fueram antequam essem diaconus.

XII. Propter anxietatem, mœsto animo insinuavi amicissimo meo, quæ in pueritia mea, una die gesseram, imo in una hora, quia necdum prævalebam. Nescio, Deus scit, si habebam tunc annos quindecim, et Deum vivum non credebam, neque ex infantia mea; sed in morte et in incredulitate mansi, donec valde castigatus sum, et in veritate humiliatus sum a fame et nuditate; et quotidie contra Hiberionem non sponte pergebam, donec prope deficiebam. Sed hoc potius bene mihi fuit, quia ex hoc emendatus sum a Domino, et aptavit me ut hodie essem quod aliquando longe a me erat, ut ego curas haberem aut satagerem pro salute aliorum; quando tunc etiam de meipso non cogitabam. Igitur in illo die quo reprobatus sum a memoratis supradictis (ad noctem illam), vidi in visu noctis scriptum contra faciem meam, sine honore. Et inter hæc, audivi responsum (divinum) dicens mihi: Male vidimus faciem designati nudato nomine. Nec sic prædixit: Male vidisti; sed: Male vidimus, quasi ibi se junxit, sicut dixit: *Qui vos tangit, quasi tangit pupillam oculi mei (Zach. II, 8)*. Idcirco gratias ago ei qui me in omnibus confortavit, ut non me impediret a profectioe quam statueram, et de meo quoque opere quod a Christo didiceram: sed magis ex eo sensi in me virtutem non parvam, et fides mea probata est coram Deo et hominibus.

XIII. Unde autem audenter dico: Non me reprehendit conscientia mea hic et in futurum. Testem Deum habeo quia non sum mentitus in sermonibus quos ego retuli vobis. Sed magis doleo pro amicissimo meo, cur hoc meruimus audire tale responsum, cui ego credidi etiam animam. Et comperi ab aliquantis fratribus, ante defensionem illam, quod ego non interfui, nec in Britanniiis eram, nec a me orietur, ut et ille in mea absentia, pro me pulsetur. Etiam mihi ipse ore suo dixerat: Ecce dandus es tu ad gradum episcopatus, quo non eram dignus. Sed unde venit illi postmodum, ut coram cunctis bonis et malis in me publice dehonestaret, quod ante sponte et lætus indulserat? Est Dominus, qui major omnibus est. Satis dico: sed tamen non debeo abscondere donum Dei quod largitus est nobis in terra captivitatis meæ: quia tunc fortiter inquisivi eum, et ibi inveni illum, et servavit me ab omnibus iniquitatibus. Sic credo, propter inhabitantem Spiritum ejus, qui operatus est usque in hanc diem in me audenter rursus. Sed scit Deus, si mihi homo effatus fuisset, forsitan tacuissem, propter caritatem Christi.

XIV. Unde ergo indefessam gratiam agam Deo meo, qui me fidelem servavit in die tentationis meæ, ita ut hodie confidenter offeram illi sacrificium, ut hostiam viventem animam meam Christo Domino meo, qui me servavit ab omnibus angustiis meis: ut et dicam: Quis ego sum, Domine, vel quæ est vocatio mea, qui mihi tantam divinitatem cooperuisti? ita ut hodie in gentibus constanter exultarem et magnificarem nomen tuum, ubicunque fuero; nec non in secundis, sed etiam in pressuris: ut quidquid mihi evenerit, sive bonum sive malum, æqualiter debeo suscipere et Deo gratias semper agere, qui mihi ostendit ut indubitabilem eum sine fine crederem, et qui me audierit: ut et ego inscius sim in novissimis diebus hoc opus tam pium et tam mirificum adire aggrederer, ita ut imitarer quospiam illos quos ante Dominus jam olim prædixerat prænuntiuros Evangelium suum, *in testimonium omnibus gentibus*, ante finem mundi. Quod ita ergo (ut vidimus itaque) suppletum est. Ecce testes sumus, quia Evangelium prædicatum est usque ubi nemo ultra est.

XV. Longum est autem totum per singula enarrare laborem meum, vel per partes. Breviter dicam qualiter piissimus Deus de servitute sæpe liberavit ex duodecim periculis, quibus periclitata est anima mea, præter insidias multas, et quæ verbis exprimere non valeo: nec et injuriam legentibus faciam. Sed dum auctorem habeo, qui novit omnia, etiam antequam fiant (ut me pauperculum pupillum). Ideo tamen responsum divinum creberrime admonuit, unde mihi hæc sapientia quæ in me non erat, qui nec numerum dierum noveram, neque Deum sapiebam: unde mihi postmodum donum tam magnum, tam salubre, Deum agnoscere, vel diligere: sed ut patriam, et parentes amitterem; et munera multa mihi offerebantur, cum fletu et lacrymis: et offendi illos, nec non contra votum, aliquantis de senioribus meis. Sed, gubernante Deo, nullo modo consensi, neque acquievi illis, non mea gratia, sed Deus qui vicit in me, et restitit illis omnibus, ut ego venirem ad Hibernas gentes Evangelium prædicare, et ab incredulis contumelias perferre, ut haurirem opprobrium peregrinationis meæ, et persecutiones multas, usque ad vincula, et ut darem ingenuitatem meam pro utilitate aliorum.

XVI. Et si dignus fuero, promptus sum ut etiam animam meam incunctanter et libentissime pro nomine ejus, et ibi opto impendere eam usque ad mortem, si Dominus mihi indulgeret: quia valde debitor sum Deo, qui mihi tantam gratiam donavit, ut populi multi per me in Deum renascerentur, et postmodum consummarentur; et ut clerici ubique illis ordinarentur ad plebem nupervenientem ad credulitatem quam sumpsit Dominus ab extremis terræ, sicut olim promiserat per prophetas. *Ad gentes venient ab extremis terræ, et dicent: Sicut falsa comparaverunt patres nostri idola, et non est utilitas in eis (Jer. XVI, 19)*. Et iterum: *Posui te lumen in gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (Isai. XLIX, 6)*. Et ibi volo expectare promissum ipsius, qui utique nunquam fallit, sicut in Evangelio pollicetur: *Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob*

(*Matth.* VIII, 11), sicut credimus, ab omni mundo venturi sunt credentes.

XVII. Idcirco oportet quidem bene et diligenter piscari, sicut Dominus præmonet, dicens: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 18). Et iterum dicit per prophetas: *Ecce ego mitto piscatores et venatores multos, dicit Dominus* (*Jer.* XVI, 16), etc. Unde autem valde oportebat retia nostra tendere, ita ut multitudo copiosa et turba Deo caperetur, ut ubique essent clerici qui baptizarent et exhortarentur populum indigentem et desiderantem, sicut Dominus in Evangelio admonet et docet, dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos observare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Et iterum dicit: *Euntes ergo in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur* (*Marc.* XVI, 15, 16). Et iterum: *Prædicabitur hoc Evangelium regni universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV, 14). Et item Dominus per prophetam prænuntians, inquit: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et filii vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt* (*Joel.* II, 28, 29). Et in Osea dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* (*Oseæ* II, 24; *Rom.* IX, 25; *I Petr.* II, 10). *Et erit in loco ubi dictum est: Non plebs mea vos, ibi vacabuntur filii a Dei vivi* (*Oseæ* I, 10; *Rom.* IX, 26).

XVIII. Unde autem Hiberionæ qui nunquam notitiam Dei habuerunt, nisi idola et immunda usque nunc semper coluerunt; quomodo nuper facta est plebs Domini, et filii Dei nuncupantur? Filii Scottorum et filiæ regulorum, monachi et virgines Christi esse videntur. Et etiam una benedicta Scotta genitiva nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego baptizavi. Et post paucos dies, una causa venit ad nos: insinuavit nobis responsum accepisse a nuntio Dei, et monuit etiam ut esset virgo Christi et ipsa Deo proximaret. Deo gratias: sexta ab hac die optime et avidissime arripuit illud, quod etiam omnes virgines Dei ita hoc faciunt, non sponte patrum earum, sed persecutionem patiuntur, et impropria falsa a parentibus suis: et nihilominus plus augetur numerus, et de genere nostro qui ibi nati sunt, nescimus numerum eorum, præter viduas et continentes. Sed et illæ maxime laborant, quæ servitio detinentur, usque ad terrores et minas assidue perseverant. Sed Dominus gratiam dedit multis ex ancillis suis; nam etsi vetantur, tamen fortiter imitantur.

XIX. Unde autem etsi voluero amittere illas, et ut peregrinus in Britannias et libentissime paratus eram, quasi ad patriam et parentes: non id solum, sed eram usque Gallias visitare fratres, et ut viderem faciem sanctorum Domini mei. Scit Deus quod ego valde optabam; sed alligatus Spiritu, qui mihi protestatur si hoc fecero, ut futurum reum me esse designat; et timeo perdere laborem quem inchoavi. Et non ego, sed Christus Dominus qui me imperavit ut venirem, esse cum illis residuum ætatis meæ; si Dominus voluerit et custodierit me ab omni via inala, ut non peccem coram illo. Spero autem hoc debueram, sed memet ipsum non credo, quandiu fuero in hoc corpora mortis, quia fortis est qui quotidie nititur subvertere me a fide et a proposita castitate, usque in finem vitæ meæ, Christo Domino meo: sed caro inimica semper trahit ad mortem, id est, ad illecebras illicite perficiendas. Et scio ex parte quare vitam perfectam ego non egi, sicut et cæteri credentes. Sed confiteor Domino meo, et non erubesco in conspectu ipsius, quia non mentior: ex quo cognovi eum a juventute mea crevit in me amor Dei et timor ipsius, et usque nunc favente Domino fidem servavi.

XX. Rideat autem et insultet qui voluerit: ego non silebo, neque abscondam signa et mirabilia quæ mihi a Domino ministrata sunt ante multos annos quam fierent, quasi qui novit omnia, etiam ante tempora sæcularia. Unde autem debueram sine cessatione Deo gratias agere, qui sæpe indulset insipientiæ meæ...Et de loco non in unoquoque, ut non mihi vehementer irasceret, qui adjutor datus sum et non cito acquievi, secundum quod mihi ostensum fuerat, et sicut Spiritus suggerebat. Et misertus est mihi Dominus in millia millium, quia vidit in me quod paratus eram, sed quod mihi pro his nesciebam de statu meo quid facerem, quia multi hanc legationem prohibebant, et jam inter seipsos post tergum meum narrabant et dicebant: Iste quare se mittit in periculum inter hostes qui Dominum non noverunt? Non causa malitiæ; sed non sapiebat illis, sicut et ego ipse testor, intellexi, propter rusticitatem meam. Et non cito agnovi gratiam quæ tunc erat in me: nunc mihi sapit quod ante debueram.

XXI. Nunc ergo simpliciter insinuavi fratribus et conservis meis qui mihi crediderunt. Propter quod prædixi et prædico ad roborandam et confirmandam fidem vestram. Utinam et vos imitemini majora, et potiora faciatis. Hoc erit gloria mea; quia *filius sapiens gloria patris est* (*Prov.* XI, 1; XV, 20). Vos scitis et Deus, qualiter apud vos conversatus sum a juventute mea, in fide veritatis et in sinceritate cordis: etiam ad gentes illas inter quas habito, ego fidem illis præstavi et præstabo. Deus scit neminem illorum circumveni, nec cogito propter Deum et Ecclesiam ipsius, ne excitem illis et nobis omnibus persecutionem, et ne per me blasphemaretur nomen Domini, quia scriptum est: *Væ homini per quem nomen Domini blasphematur* (*Lev.* XXIV, 16). Nam etsi imperitus sum in omnibus, tamen conatus sum

quispiam servare me etiam et fratribus Christianis, et virginibus Christi, et mulieribus religiosis, quæ mihi ultronea munuscula donabant et super altare reddebant, ex ornamentis suis, et iterum reddebam illis. Et adversus me scandalizabantur, cur hoc faciebam. Sed ego (hoc faciebam) propter spem perennitatis, ut me in omnibus caute propterea conservarem, ita ut me in aliquo titulo infideles non carperent vel ministerium servitutis meæ, nec etiam in minimo incredulis locum darem infamare sive detrectare.

XXII. Forte autem, quando baptizavi tot millia hominum, speraverim ab aliquo illorum vel dimidium scriptulæ? Dicite mihi et reddam vobis: aut quando ordinavit Dominus clericos per modicitatem meam et ministerium, gratis distribui illis. Si poposci ab aliquo illorum vel pretium calceamenti mei, dicite; dicite adversus me, et reddam vobis. Magis ego impendi pro vobis, ut me caperet: et inter vos et ubique pergebam causa vestra in multis periculis, etiam usque ad exterarum partes, ubi nemo ultra erat, et ubi nunquam aliquis pervenerat qui baptizaret, aut clericos ordinaret, aut populum consummaret, donante Domino, diligenter et libentissime pro salute vestra omnia generavi. Interim præmia dabam regibus, propter quod dabam mercedem filiis ipsorum qui mecum ambulant, et nihil comprehenderunt a me cum comitibus meis. Et illa die avidissime cupiebant interficere me: sed tempus nondum venerat. Et omnia quæcunque nobis invenerunt, rapuerunt illa, et me ipsum ferro vinxerunt: et quarto decimo die absolvit me Dominus de potestate eorum; et quidquid nostrum fuit, redditum est nobis, propter Deum et necessarios amicos quos ante providimus.

XXIII. Vos autem experti estis quantum ego erogavi illis, qui judicabant per omnes regiones quas frequentius visitabam. Censeo enim non minimum pretium quindecim hominum distribui illis. Ita ut me si fruamini, et ego vobis semper fruar in Deum, non me pœnitent nec satis est mihi, adhuc impendo et super impendam: potens est Dominus ut det mihi postmodum ut meipsum *impendam pro animabus vestris* (*II Cor. XII, 15*). Ecce testem Deum invoco in animam meam, quia non mentior, quod neque, ut fit, causa adulationis vel avaritiæ scripserim vobis, neque ut honorem sperarem vestrum. Sufficit enim mihi honor qui non videtur, sed corde creditur; fidelis autem qui promisit, nunquam mentitur. Sed video jam in præsentis sæculo me supra modum exaltatum a Domino. Et non eram dignus neque talis, ut hoc mihi præstaret: dum scio certissime quod mihi melius convenit paupertas et calamitas, quam deliciæ et divitiæ. Sed et Christus Dominus pauper fuit pro nobis. Ego vero miser et infelix, et si opes voluero, jam non habeo, neque meipsum (dignum) judico, quia quotidie spero aut interneccionem, aut circumveniri, aut redigi in servitutem, sive occasionem cujuslibet. Sed nihil horum vereor propter promissa cœlorum, quia jactavi meipsum in manus Dei omnipotentis qui ubique dominatur, sicut propheta dicit: *Jacta cogitatum tuum in Deum, et ipse te enutriet* (*Psal. LIV, 23*).

XXIV. Ecce nunc commendo animam meam fidelissimo Deo meo, pro quo legatione fungor in ignobilitate mea (*II Cor. V, 20*). Sed quia personam non accipit, et elegit me ad hoc officium, ut unus essem de suis minimis minister: *Unde autem retribuam illi pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal. CXV, 12*). Sed quid dicam, vel quid promittam Domino meo? Quia nihil valeo, nisi ipse mihi dederit; sed scrutatur corda et renes, quia satis et nimis cupio, et paratus eram ut donaret mihi bibere calicem ejus, sicut indulset cæteris amantibus se. Quapropter non contingat mihi a Deo meo, ut unquam amittam plebem suam quam acquisivi in ultimis terræ. Oro Deum ut det mihi perseverantiam, et dignetur ut reddam illi testem fidelem usque ad transitum meum propter Deum meum. Et si aliquid boni unquam imitatus sum propter Deum meum quem diligo, peto illum det mihi ut cum illis proselytis et captivis pro nomine suo effundam sanguinem meum, etsi ipse etiam caream sepultura, aut miserrime cadaver per singula membra dividatur canibus aut bestiis asperis, aut volucres cœli comederint illud. Certissime reor, si mihi hoc incurrisset, lucratus sum animam cum corpore meo: quia sine ulla dubitatione in die illa resurgemus in claritate solis, hoc est, in gloria Christi Jesu redemptoris nostri, Filii Dei vivi, et *cohæredes Christi* (*Rom. VIII, 17*) et *conformes futuræ imaginis ipsius* (*Ibid., 29*): quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, regnaturi sumus.

XXV. Nam sol iste quem videmus, Deo jubente, propter nos quotidie oritur, sed nunquam regnabit, neque permanebit splendor ejus. Sed et omnes qui adorant eum, in pœnam miseri male devenient. Nos autem credimus et adoramus Solem verum, Christum qui nunquam interibit; neque qui facit voluntatem ipsius, sed manebit in æternum, quomodo et Christus manebit in æternum, qui regnat cum Deo Patre omnipotente et cum Spiritu sancto, ante sæcula, et nunc, et per omnia sæcula sæculorum. Amen. Ecce iterum iterumque breviter exponam verba *confessionis meæ*. Testificor in veritate et in exultatione cordis, coram Deo et sanctis angelis ejus, quia nunquam habui aliquam occasionem, præter Evangelium et promissa illius, ut unquam redirem ad gentem illam unde autem prius vix evaseram. Sed precor credentibus et timentibus Deum, quicumque dignatus fuerit inspicere vel recipere hanc scripturam, quam Patricius peccator, indoctus scilicet, Hiberione conscripsit, ut nemo unquam dicat quod mea ignorantia, si aliquid pusillum egi vel demonstraverim, secundum Dei placitum. Sed arbitramini, et verissime credatur, quod donum Dei fuisset. Et hæc est confessio mea antequam moriar.

I. Patricius, peccator, indoctus scilicet Hiberione constitutum episcopum me esse fateor. Certissime reor, a Deo accepi id quod sum. Inter barbaros itaque habito proselytus et profuga, ob amorem Dei Testis est ille, si ita est: non quod optabam tam dure et tam aspere, ex ore meo effundere, sed cogor zelo Dei et veritatis Christi, (*qui*) excitavit me pro dilectione proximorum atque filiorum, pro quibus tradidi patriam et parentes et animam meam usque ad mortem, si dignus sum. Vovi Deo meo docere gentes, etsi contemnor a quibus manu mea scripsi atque condidi verba ista danda et tradenda militibus mittenda Corotico, non dico civibus meis, neque civibus sanctorum Romanorum, sed civibus dæmoniorum, ob mala opera ipsorum, ritu hostili. In morte vivunt socii Scottorum atque Pictorum apostatarum, quasi sanguine volentes saginari innocentium Christianorum, quos ego innumeros Deo genui atque in Christo confirmavi.

II. Postera die qua chrismati neophyti in veste candida, dum (fides) flagrabat in fronte ipsorum, crudeliter trucidati atque mactati (sunt) gladio a supradictis, misi epistolam cum sancto presbytero, quem ego ex infantia docui cum clericis, ut nobis aliquid indulgerent de præda vel de captivis baptizatis quos ceperunt: (*sed*) cachinnos fecerunt de illis. Idcirco nescio quos magis lugeam, an qui interfecti, vel quos ceperunt, vel quos graviter zabulus illaqueavit, (*qui*) perenni pœna gehennæ pariter cum ipso mancipabuntur. Quia utique peccati, qui facit peccatum, servus est (*I Joan.* III, 8), et filius zabuli nuncupatur.

III. Quapropter sciat omnis homo timens Deum quod a me alieni sunt et a Christo Domino meo pro quo legatione fungor, patricidæ, fratricidæ, lupi rapaces, *devorantes plebem Domini, ut cibum panis* (*Psal.* XIII, 4), sicut ait; *Iniqui dissipaverunt legem tuam, Domine* (*Psal.* CXVIII, 126), qua in supremis temporibus Hiberione optime et benigne plantata atque instructa erat favente Deo. Non usurpo (aliena: sed) partem habeo cum his quos advocavit, et prædestinavit Evangelium prædicare in persecutionibus non parvis usque ad extremum terræ. Etsi invidet inimicus per tyrannidem Corotici, qui Deum non veretur, nec sacerdotes ipsius quos elegit et indulget illis summam, divinam, sublimem potestatem, *quos ligarent super terram, ligatos esse et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 18).

IV. Unde ergo quæso plurimum, sancti et humiles corde, adulari talibus non licet, nec cibum nec potum sumere cum ipsis, nec eleemosynas ipsorum recipere debere, donec crudeliter effusis lacrymis satis Deo faciant et liberent servos Dei et ancillas Christi baptizatas, pro quibus mortuus est et crucifixus. *Dona iniquorum reprobatur Altissimus. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Eccli.* XXXIV, 23, 24). *Divitiæ, inquit, quas congregabit injustus, evomentur de ventre ejus; trahit illum angelus mortis: ira draconum multabitur: interficiet illum lingua colubri* (*Job* XX, 15, 16). Comedet autem eum ignis inexstinguibilis. Ideoque væ qui replent se (his) quæ non sum sua. Vel, *quid prodest homini, ut totum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* XVI, 26)? Longum est per singula discutere vel insinuare, per totam legem carpere testimonia de tali cupiditate. Avaritia mortale crimen. *Non concupisces rem proximi tui. Non occides* (*Exod.* XX, 17, 13). Homicida non potest esse cum Christo. *Qui odit fratrem suum, homicida ascribitur; vel, qui non diligit fratrem suum in morte manet* (*I Joan.* III, 14, 15). Quanto magis reus est qui manus suas coinquinavit in sanguine filiorum Dei, quos nuper acquisivit in ultimis terræ, per exhortationem parvitatis nostræ?

V. Nunquid sine Deo vel secundum carnem Hiberione veni? Quis me compulit? alligatus sum spiritu, ut non videam aliquem de cognatione mea. Nunquid piam misericordiam ago erga gentem illam quæ me aliquando ceperunt, et devastaverunt servos et ancillas domus patris mei? Ingenuus fui secundum carnem: decorione patre nascor. Vendidi enim nobilitatem meam (non erubesco, neque me pœnitet) pro utilitate aliorum. Denique servus sum in Christo Jesu Domino nostro, etsi mei me non cognoscunt. *Propheta in patria sua honorem, non habet* (*Marc.* VI, 4). Forte non sumus ex uno ovili, neque unum Deum patrem habemus, sicut ait: *Qui non est mecum contra me est, et qui non congregat mecum spargit* (*Luc.* XI, 23). Non convenit, *Unus destruit, alter ædificat* (*Eccli.* XXXIV, 28). Non quæro quæ mea sunt.

VI. Non mea gratia; sed Deus quidem hanc sollicitudinem (dedit) in corde meo, ut unus essem de venatoribus sive piscatoribus quos olim Deus in novissimis diebus ante prænuntiavit (*Jer.* XXVI, 16). Invidetur mihi: Quid faciam Domine? Valde despicior. Ecce oves tuæ circa me laniantur atque deprædantur a supradictis latrunculis, jubente Corotico, hostili mente (longe est a caritate Dei traditor Christianorum), in manus Scottorum atque Pictorum. Lupi rapaces deglutierunt gregem Domini, qui utique Hiberione cum summa diligentia optime crescebat; et filii Scottorum et filiæ regulorum monachi fiebant et virgines Christi; quos enumerare nequeo. Quamobrem injuria justorum non tibi placeat, etiam usque ad inferos non placebit.

VII. Quis sanctorum non horreat jocundare vel convivio frui cum talibus? De spoliis defunctorum Christianorum repleverunt domos suas; de rapinis vivunt, nesciunt miseri. Venenum bibunt, lethalem cibum porrigunt ad amicos et filios suos. Sicut Eva non intellexit quod mortem tradidit viro suo; sic sunt omnes qui male agunt, mortem perennem pœnamque perpetuam operantur. Consuetudo Romanorum et Gallorum Christianorum (est): mittunt viros sanctos idoneos ad Francos et cœteras gentes cum tot millibus solidorum ad redimendos captivos baptizatos. Tu omnes interficis, et vendis illos genti exteræ ignorantem Deum: quasi in lupanar tradis membra Christi. Qualem spem habes in Deum?

VIII. Qui tecum sentit, aut qui communicat verbis alienis et adulationis, Deus judicabit. Scriptum est enim: *Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt* (Rom. I, 32). Nescio quid dicam aut quid loquar amplius de defunctis filiorum Dei, quos gladius supra modum dure tetigit. Scriptum est enim: *Flere cum flentibus* (Rom. XII, 15); et iterum: *Si dolet unum membrum, condoleant omnia membra* (I Cor. XII, 26). Quapropter Ecclesia plorat et plangit filios et filias suas quas adhuc gladius nondum interfecit, sed prolongati et exportati (sunt) in longa terrarum spatia... Ut peccatum manifeste gravetur impudentiæ, impudens ibi habitat et abundat. Ibi venundati ingenui homines Christiani in servitute redacti sunt, præsertim indignissimorum, pessimorum, apostatarumque Pictorum.

IX. Idcirco cum tristitia et mærore vociferabor: O speciosissimi atque amantissimi fratres et filii quos in Christo genui, enumerare nequeo quid faciam vobis! Non sum dignus Deo neque hominibus subvenire. Prævaluit iniquitas iniquorum super nos. Quasi extranei facti sumus. Forte non credunt (quod) unum baptismum percipimus, vel, unum Deum patrem habemus. Indignum est illis; Hiberia nati sumus, sicut ait: nonne unum Deum habetis? Quid dereliquistis unusquisque proximum suum? Idcirco doleo pro vobis, doleo, carissimi mihi; sed iterum gaudeo intra meipsum; non gratis laboravi, vel peregrinatio mea in vacuum non fuit; et contigit scelus tam horrendum, ineffabile. Deo gratias, creduli baptizati de sæculo recessistis ad paradysum. Cerno: vos migrare cœpistis ubi *nox non erit neque luctus, neque mors amplius* (Apoc. XXI, 4); sed exsultabitis sicut vituli ex vinculis resoluti, et conculcabitis iniquos, et erunt cinis sub pedibus vestris.

X. Vos ergo regnabitis cum apostolis et prophetis atque martyribus, et æterna regna capietis, sicut ipse testatur (qui inquit): *Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum* (Matth. VIII, 11). *Foris canes, et venefici, et homicidæ, et mendaces* (Apoc. XXII, 15), perjuri: *Pars eorum in stagnum ignis æternum* (Apoc. XXI, 8). Non immerito ait Apostolus: *Ubi justus vix salvus erit, peccator et impius transgressor legis, ubi se recognoscit* (II Petr. IV, 18). Ubi enim Coroticus cum suis sceleratissimis rebellatoribus Christi? Ubi se videbunt, qui mulierculas baptizatas et prædia orphanorum spurcissimis satellitibus suis distribuunt ob miserum regnum temporale, quod utique in momento transeat, sicut nubes, vel fumus qui utique vento dispergitur? Ita peccatores et fraudulentum a facie Domini peribunt: justum autem epulabuntur in magna constantia cum Christo: judicabunt nationes et regibus iniquis dominabuntur in sæcula sæculorum. Amen.

XI. Testificor coram Deo et angelis suis, quod ita erit sicut intimavit imperitia mea. Non mea verba, sed Dei, et apostolorum atque prophetarum (quod ego in Latinum exposui), qui nunquam enim mentiti sunt. *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* (Marc. XVI, 16). Deus locutus est. Quæso plurimum, ut quicumque famulus Dei, ut promptus fuerit, ut sit gerulus litterarum harum, ut ne utiquam subtrahatur a nemine, sed magis potius legatur coram cunctis plebibus, et coram ipso Corotico. Quod si Deus inspirat illos ut quandoque Deo resipiscant, et vel sero pœniteant quod tam impie gesserunt homicidæ erga fratres Domini, et liberent captivas baptizatas quas ante ceperunt, ita ut mereantur Deo vivere, et sani efficiantur hic et in æternum. Pax Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Amen.

SYNODUS EPISCOPORUM PATRICII, AUXILII ISSERNINI

Gratias agimus Deo Patri et Filio et Spiritui sancto. Presbyteris et diaconibus et omni clero, Patricius, Auxilius et Isserninus episcopi, salutem.

Satius nobis negligentes præmonere (quam) culpæ quæ facta sunt, Salomone dicente: *Melius est arguere quam irasci* (Eccli. XX, 1). Exempla definitionis nostræ inferius conscripta sunt, et sic inchoant.

I. Si quis in quæstionem captivis quæsierit in plebe, suo jure, sine permissione, meruit excommunicari.

II. Lectores denique cognoscant unusquisque ecclesiam in qua psallat.

III. Clericus vagus non sit in plebe.

IV. Si quis permissionem acceperit, et collectum sit pretium, non plus exigat quam quod necessitas poscit.

V. Si quid supra manserit, ponat super altare pontificis, ut detur alii indigenti.

VI. Quicumque clericus ab ostiario usque ad sacerdotem sine tunica visus fuerit, aut turpitudinem ventris et nuditatem non tegat; et si non more Romano capilli ejus tonsi sint, et uxor ejus si non velato capite ambulaverit, pariter a laicis contemnentur, et ab Ecclesia separentur.

VII. Quicumque clericus jussus negligentiae causa ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur, nisi forte jugo servitutis sit detentus.

VIII. Clericus si pro gentili honrine fideijussor fuerit in quaecunq̄e quantitate, et si contigerit (quod mirum non potest) per astutiam aliquam, gentilis ille clerico fallat rebus suis; clericus ille solvat debitum: nam si armis compugnaverit cum illo, merito extra Ecclesiam computetur.

IX. Monachus et virgo, unus ab hinc, et alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue invicem confabulationem exerceant.

X. Si inceptum boni operis ostenderit in psallendo, et comam habeat, ab Ecclesia excludendus, nisi statui priori se restituerit.

XI. Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit et alius eum susceperit, ambo coequali poenitentia utantur.

XII. Quicumque Christianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemosyna recipiatur.

XIII. Eleemosynam a gentibus offerendam in ecclesiam recipi non licet.

XIV. Christianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium ad aruspicem meaverit; per singula crimina annum poenitentiae agat: impleto, cum testibus veniat anno poenitentiae, et postea resolvetur a sacerdote.

XV. Et qui furtum fecerit, dimidium poeniteat, viginti diebus cum pane; et si fieri potest, rapta repraesentet: sic in Ecclesiam renuetur.

XVI. Christianus qui crediderit esse *Lamiam* in speculo, quae interpretatur *Striga*, anathematizandus, quicumque super animam, famam istam imposuerit; nec ante in Ecclesiam recipiendus quam ut idem criminis quod fecit, sua iterum voce revocet: et sic poenitentiam cum omni diligentia agat.

XVII. Virgo quae voverit Deo permanet casta, et postea nupserit carnalem sponsum, excommunicationis sit donec convertatur. Si conversa fuerit, et dimiserit adulterium, poenitentiam agat, et postea non in una domo nec in una villa habitent.

XVIII. Si quis excommunicationis fuerit, nec nocte pascharum in ecclesiam (non) introeat, donec poenitentiam recipiat.

XIX. Mulier Christiana quae acceperit virum honestis nuptiis, et postmodum discesserit a primo, et junxerit se adulterio, quae haec fecit, excommunicationis sit.

XX. Christianus qui fraudat debitum cujuslibet ritu gentilium, excommunicationis sit donec solvat debitum.

XXI. Christianus cui dereliquerit aliquis, et provocat eum in ductum et non in ecclesiam, ut ibi examinetur causa, qui sic fecerit alienus sit.

XXII. Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis, et amaverit alium et consentit filiae suae, et acceperit dotem, ambo ab Ecclesia excludantur.

XXIII. Si quis presbyterorum ecclesiam aedificaverit, non offerat antequam adducat suum pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

XXIV. Si quis advena ingressus fuerit plebem, non ante baptizet neque offerat, nec consecret, nec ecclesiam aedificet, nec permissionem accipiat ab episcopo; nam qui a gentibus sperat permissionem, alienus sit.

XXV. Si quae a religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus pontifex in singulis habitaverit ecclesiis, pontificalia dona, sicut mos antiquus, ordinare, ad episcopum pertinebunt, sive ad usura necessarium, sive egentibus distribuendum, prout ipse episcopus moderabit.

XXVI. Si quis vero clericus contravenerit, et dona invadere fuerit deprehensus, ut turpis lucri cupidus ab Ecclesia sequestretur.

XXVII. Clericus episcopi in plebe quislibet novus ingressor, baptizare et offerre illum non licet, nec aliquid agere: qui si sic non faciat, excommunicationis sit.

XXVIII. Si quis clericorum excommunicationis fuerit solus, non in eadem domo cum aliis orationem faciat; nec offerre nec conservare licet, donec se faciat emendatum; qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

XXIX. Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non ante baptizetur quam quadragesimum agat.

XXX. Episcopus quislibet qui de sua in alteram progreditur parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo principatu est; die dominica offerat tantum susceptione, et obsequi hic contentus sit.

XXXI. Si quis conduxerit e duobus clericis quos discordare convenit per discordiam aliquam, prolatum uni e duobus hostem ad interficiendum homicidam congruum est nominari; qui clericus ab omnibus rectis habetur alienus.

XXXII. Si quis clericorum voluerit juvare captivo, cum suo pretio illi subveniat: nam si per furtum illum involaverit, blasphemantur multi clerici per unum latronem; qui sic fecerit, excommunicationis sit.

XXXIII. Clericus qui de Britannis ad nos venit sine epistola, etsi habitet in plebe, non licitum ministrare.

XXXIV. Diaconus nobiscum similiter, qui inconsulto suo abbate, sine litteris in aliam parochiam assentiat, nec cibum ministrare decet: et a suo presbytero quem contempsit, per pœnitentiam vindicetur: et monachus inconsulto abbate vagulus debet vindicari.

Finiunt synodi instituta.

PROVERBIA ALIQUA S. PATRICII.

Patricius dicit: Satius est nobis negligentes præmonere, ne delicta abundant, quam culpæ quæ sunt facta. Salomon: *Melius est arguere quam irasci (Eccli. XX, 1).*

Patricius ait: Non oportet iudices Ecclesiæ habere timorem hominum, sed timorem Dei; quia *Timor Dei principium sapientiæ est (Psal. CX, 10).*

Non oportet iudices Ecclesiæ Dei habere sapientiam hujus mundi; quia *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19)*; sed sapientiam Dei habere.

Non oportet iudices Ecclesiæ munera suscipere: *quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum (Deut. XVI, 19).*

Non oportet iudices Ecclesiæ habere personam in iudicio: quia *Non est acceptio personarum apud Deum (Rom. II, 11).*

Non oportet iudices Ecclesiæ cautelam sæcularem habere, sed exempla divina: quia non oportet servum Dei cautum esse vel astutum.

Non oportet iudices Ecclesiæ tam veloces esse in iudicio, donec sciant quam verum fiat quod scriptum est: *Noli iudex esse cito (Prov. XXV, 8).*

Non oportet iudices Ecclesiæ volubiles esse.

Non oportet iudices Ecclesiæ mendacium dicere; quia magnum crimen est mendacium. Sed oportet iudices Ecclesiæ rectum iudicium iudicare; quia in quocunque iudicio iudicaverint, iudicabitur de eis.

Patricius (*ait*): Exempla majorum perquire, ubi nihil fallaciæ invenies.

Patricius ait: Iudices qui non recte iudicant iudicia Ecclesiæ, non iudices, sed falsatores sunt.

CANONES S. PATRICIO ASCRIPTI.

I.

De iudicio clericorum, ut non sit apud iniquos, aut apud infideles.

Omnis mundialis sapiens, si sapiens sit, non iudicet iudicia Ecclesiæ.

II

De subiectione populi principi.

Ministri vos estis, et unusquisque vestrum principem suum cui assistat et ministrat, timeat.

III.

De pœnitentia blasphemantis principem bonum.

Qui murmurat verba blasphemie contra principem bonum per odium aut invidiam, cum pane et aqua pœniteat septem diebus, exemplo Mariæ contra Moysen murmurantis.

IV.

De eo quod incertum sit, utrum priorem gradum episcopus post lapsum recipiat.

Patricius episcopus dicit: Qui sub gradu peccat, debet excommunicari, quia magna est dignitas hujus nominis; tamen potest redimere animam suam post pœnitentiam: ad priorem gradum venire difficile. Nescio an non. Deus scit.

V.

De recipienda adultera post pœnitentiam, et de quantitate pœnitentiæ.

Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem, quandiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit et agat pœnitentiam, suscipiet eam, et serviet ei in vicem ancillæ, et annum integrum in pane et aqua per mensuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.

VI.

De alienis adeundis ad iudicandum.

Si quæ quæstiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur.

VII.

De pœnitentia agenda in ultimo spiritu.

Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.

VIII.

De eo quod insipientes præesse non debent.

Synodus totius mundi, et Patricias decrevit: Qui insipiens est, nullo modo præesse liceat, sed sub manu abbatis catholici opus suum exercent.

IX.

De collectura pecuniæ non vituperanda, necessitate cogente.

Patricius ait: Si quis acceperit permissionem pontificis, et collectum sit pretium captivi, non plus exegerit quam necessitas poposcit. Si quid supra remanserit, ponat super altare, et indigentibus detur et captivis.

Item si quis, colligit pecuniam sub nomine misericordie, non audeat spoliare Ecclesiam Dei, sed reges et plebiles, quibus melius est dare quam recondere.

CAPUT PRIMUM.

De habitatione cum fratribus peccatoribus.

De eo quod mandastis, de habitatione cum fratribus peccatoribus, audite Apostolum dicentem: *Cum hujusmodi ne cibum quidem sumere (I Cor. V, 11)*; non ejus escas sumas cum eo. Cæterum si *bos* sis et *trituras*, hoc est, si doctor es et doces, *non obturatur tibi os (I Cor. IX, 9)*, et *dignus es mercede tua (Luc. X, 7)*. Sed *oleum peccatoris non impinguet caput tuum (Psal. CXL, 5)*: sed corripe adhuc et argue.

CAPUT II.

De oblationibus eorum.

Contentus tegmento et alimento tuo, cætera dona iniquorum reprobata (Eccli. XXXIV, 23), quia non sumit lucerna nisi quod alitur.

CAPUT III.

De pœnitentia post ruinam.

Statuitur ut abbas videat cui attribuetur potestas alligandi et solvendi; sed aptior est, juxta Scripturæ exempla, veniam. Si vero cum fletu et lamentatione et lugubri cum veste, sub custodia pœnitentia brevis, quam longa et remissa cum temperamentis.

CAPUT IV.

De excommunicato repellendo.

Audi Dominum dicentem: *Si tibi non audierit, sit tibi velut gentilis et publicanus (Matth. XVIII, 37)*. Non maledices, sed repelles excommunicatum a communione et mensa, et missa et pace. Et *si hæreticus est, post unam correptionem devota (Tit. III, 10)*.

CAPUT V.

De suspectis causis.

Audi Dominum dicentem: *Sinite utraque crescere usque ad messem (Matth. XIII, 30)*, hoc est, donec veniet qui *manifestabit consilia cordium (I Cor. IV, 5)*, ne iudicium ante diem iudicii facias. Vide Judam ad mensam Domini, et latronem in paradiso.

CAPUT VI.

De vindictis Ecclesiæ.

Audi item Dominum dicentem: *Qui effuderit sanguinem innocentem, sanguis ipsius effundetur (Gen. IX, 6)*, sed ab eo qui portat gladium dicitur, aut vindictæ innocens habetur. De cæteris autem per legem evangelicam, ab eo loco in quo ait: *Et eum qui aufert aliquid a te, ne repetas (Luc. VI, 30)*, sed libenter; si ipse quid referat, humiliter recipias.

CAPUT VII.

De baptismatis incertis.

Statuunt ne rebaptizati (sint) qui symboli traditione a quocunque acceperunt, quia non inficit semen seminantis iniquitas. Sin vero, non est rebaptizare, sed baptizare. Non absolvendos autem lapsos a fide credamus, nisi per impositionem manus accepi.

CAPUT VIII.

De reis autem abstractis ab Ecclesia.

Non ad reorum defensionem facta est Ecclesia, sed iudiciis persuadendum est, ut spiritali morte eos occiderent, qui ad sinum matris Ecclesiæ confugiunt.

CAPUT IX.

(Desideratur.)

CAPUT X.

De lapsis post gradum.

Audi canonica instituta: Qui cum gradu cecidit, sine gradu surgat: contentus nomine tantum, amittat ministerium, nisi qui tantum a conspectu Domini peccans non recessit.

CAPUT XI.

De separations sexuum post lapsum.

Consideret unusquisque in conscientia sua si amor et desiderium cessavit peccati; quia corpus mortuum non inficit corpus alterius mortui. Sin vero, separentur.

CAPUT XII.

De oblatione pro defunctis.

Audi Apostolum dicentem: *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis (I Joan. V, 16).* Et Dominus: *Nolite donare sanctum canibus (Matth. VII, 6).* Qui enim in vita sua sacrificium non merebitur accipere, quomodo post mortem illi poterit adjuvare?

CAPUT XIII.

De sacrificio.

In nocte paschæ, si fas est ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur. Quid aliud significat, quod *in una domo* sumitur agnus, quam sub uno fidei culmine creditur et communicatur Christus?

CAPUT XIV.

De abstinenti...a cibis.

Statutum ut Christi adventum sponsi nullas ratas leges inveniat jejunii. Quid autem inter Novatianum et Christianum interest, nisi quod Novotianus indesinenter, Christianus vero per tempus absteineat? ut locus, et tempus, et persona per omnia observetur.

CAPUT XV.

De relinquenda vel docenda patria.

Docenda patria prius per exemplum Domini, et derelinquenda postea, si non proficiat, juxta exemplum Apostoli. Sed qui potest proficere, licet periclitatur, ubique doceat, et se ostendat; qui vero non potest, taceat et abscondat: alius quippe ab Jesu in domum suam mittitur, alius sequi jubetur.

CAPUT XVI.

De falsis episcopis.

Qui non secundum Apostolum electus est ab altero episcopo, est damnandus; et deinde ad reliquaui plebem declinandus et degradandus.

CAPUT XVII.

De proposito monachorum.

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate episcopi vel abbatis. Non autem monachi, sed *Vactro* periti, hoc est, contemptores solliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta. Hoc est, a viginti annis debet unusquisque constringi non attestando, sed voto perficiendo, ut est illud: *Unusquisque sicut proposuit corde suo (I Cor. VII, 37)* faciat, et ut *Vota mea reddam in conspectu Domini (Psal. CXV, 14, 18)*, et reliqua: quo voto vivitur, situs locorum coarctat: si superabundantia, in omnibus devitetur in vita; quia (*II Cor. XI, 27*) in frigore et nuditate, in fame et siti, in vigiliis et jejuniis vocati sunt.

CAPUT XVIII.

De tribus seminibus Evangeliorum.

Centesimum (*Matth. XIII, 8, 25*) episcopi et doctores, qui omnibus omnia sunt; sexagesimum, clerici et viduæ qui continentes sunt; trigesimum, laici qui fideles sunt, qui perfecte Trinitatem credunt. His

amplius non est in messe Domini; monachos vero et virgines cum centesimis jungimus.

CAPUT XIX.

Qua ætate baptizandi.

Octavo die catechumeni sunt, postea solemnitatibus Domini baptizantur, id est, Pascha, Pentecoste et Epiphania.

CAPUT XX.

De parochiis.

Cum monachis non est dicendum quorum malum est inauditum, qui unitatem vero plebis non incongrue suscepimus.

CAPUT XXI.

De retinendis vel dimittendis monachis.

Unusquisque fructum suum in Ecclesia in qua imbutus est perfruatur, nisi causa majoris profectus ad ultoris ferre permissio abbatis cogat. Si vero exierit, causa utilior cum benedictione dicatur, *Ecce Agnus Dei*, non quæ sua sunt singuli quærentes, sed quæ *Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21). Vocationis autem causam non permittant subditos discurrere.

CAPUT XXII.

De sumenda Eucharistia post lapsum.

Post examinationem carceris sumenda est, maxime autem in nocte Paschæ, in qua qui non communicat, fidelis non est. Ideo brevia sunt et stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinæ, Domino dicente: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54).

CAPUT XXIII.

De juramento.

Non jurare omnino (*Matth.* V, 34). De hoc consequente lectionis series docet, non adjurandam esse creaturam aliam, nisi creatorem: ut prophetis mos est: *Vivit Dominus et vivit anima mea* (*IV Reg.* II, 2, 4, 6); et: *Vivit Dominus cui assisto hodie* (*III Reg.* XVIII, 15). Finis autem contradictionis est nisi Domino. Omne enim quod amat homo, hoc et juratur.

CAPUT XXIV.

De contentione duorum absque testibus.

Statuunt ut per quatuor sancta Evangelia, antequam communicet, testatur quid probatur, et deinde sub iudice fama relinquatur.

CAPUT XXV.

De toro fratris defuncti.

Audi decreta synodi super istis. Frater torum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Ergo uxor fratris soror tua est.

CAPUT XXVI.

De meretrice conjuge.

Audi Dominum dicentem: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (*I Cor.* VI, 16). Item: *Adultera lapidetur* (*Lev.* XX, 10; *Deut.* XXII, 22); id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere quæ non desinit mœchari. Item: *Si adulterata fuerit mulier, nunquid revertitur ad virum suum priorem* (*Jer.* III, 1)? Item: Non licet viro dimittere uxorem, *nisi ob causam fornicationis* (*Matth.* V, 32; XIX, 9): ac si dicat, ob hanc causam. Unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetunt.

CAPUT XXVII.

De voluntate virginis vel patris, in conjugio.

Quod vult pater, faciat virgo, quia *caput mulieris vir* (I Cor. XI, 3). Sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum *Deus relinquit hominem in manibus consilii sui* (Eccli. XV, 14).

CAPUT XXVIII.

De primis vel secundis votis.

Eadem ratione observanda sunt prima vota, et prima conjugia, aut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

CAPUT XXIX.

De consanguinitate in conjugio.

Intelligite quid lex loquitur, non minus nec plus. Quod autem observatur apud nos, ut quatuor genera dividantur, nec vidisse dicunt nec legisse.

CAPUT XXX.

De vindicandis assuetis.

Nunquam vetitus licet: verum observandæ sunt leges jubilæi, hoc est quinquaginta anni ut non affirmantur incerta veterato temporis. Et ideo omnes negotia subscriptione Romanorum confirmanda est.

CAPUT XXXI.

De gentilibus qui ante baptismum credunt, quam pœnitentiam habeunt.

Remittuntur quidem omnium peccata in baptismo; sed quia cum fideli conscientia infidelem tempor... vixit, ut fidelis peccator iudicandus est.

Finit Patricii synodus.

CANONES ALII S. PATRICIO ATTRIBUTI *E codice ms. Collegii Benedictini Cantabrigiæ descripti.*

I.

De unitate subditorum.

Quis ergo audet scindere unitatem, quam nemo hominum solvere vel reprehendere potest? *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, et nulla erat separatio in eis, nec quisquam ex bonis suis dicebat esse aliquid: sed erant illis omnia communia. Gratia quoque erat magna super illos omnes, nec in eis aliquis indigens. Nam quicumque possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia illorum et ponebant ante [pedes] apostolorum; et dividebatur unicuique ut opus erat* (Act. IV, 32-35). Deinde: *Quidam autem vir nomine Ananias, etc., usque ad illa verba: Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit* (Act. V, 1-5).

II.

De furto in ecclesia peracto.

Qui furatus fuerit pecuniam ab ecclesia sancta ubi martyres et corpora sanctorum dormiunt, illius manus vel pes circumcidatur, aut in carcerem mittatur, aut in peregrinationem ejiciatur, et restituat duplum; et jurabit quod non revertetur donec impleverit pœnitentiam.

III.

De veris viduis.

De veris viduis Paulus: *Vidua eligatur non minus annorum 60, unius viri uxor* (I Tim. V, 9). Nota: Si plures viros habuerit, vidua non sit.

Adjiciuntur deinde mox sequentes duo canones: sed an S. Patricii, vel cujus sint, e ms. Benedictino non liquet. Eorum vero posterior in codice Cottoniano canonum, tit. 66, diserte synodo Hiberniensi

ascribitur.

I. De eo quod non repudianda sit, si sterilis, si deformis est, si ætate vetula, si fetida, si temulenta, si iracunda, si jurgatrix, tenenda sit velis nolis. Qualiscunque accepta sit, tenenda est.

II. Omnis adulter sive a concelebratione, sive a communicatione mensæ, sive a colloquio, sive a comitatu, usque dum pœniteat, excludendus est.

CHARTA S. PATRICII.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Patricius humilis servunculus Dei, anno incarnationis ejusdem quadringentesimo vigesimo quinto, in Hiberniam a sanctissimo papa Cœlestino legatus, Dei gratia Hibernicos ad viam veritatis converti. Et cum eos in fide catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reversus, ac, ut credo, duce Deo, *qui vita est et via* (Joan. XIV, 6), incidi in insulam *Ynswytryn*, in qua inveni locum sanctum ac vetustum, a Deo electum et sanctificatum, in honore intemeratæ Virginis Dei genitricis Marias. Ibi reperi quosdam fratres rudimentis catholicæ fidei imbutos, et piæ conversationis, qui successerunt discipulis sanctorum Phagani et Diruviani, quorum nomina, pro vitæ meritis, veraciter credo scripta in cœlis (*Philip. IV, 5*). Et quia in memoria æterna erunt justis (*Psal. CXI, 7*), cum eosdem fratres tenere dilexissem, eorum nomina scripto meo redigere volui, quæ sunt: Brumban, Hyregaan, Bremwal, Wencreth, Bantommeweng, Adewolred, Loyor, Wellias, Breden, Swelwes, Hinloernus, et alius Hyn. Hi cum essent nobilibus orti natalibus, nobilitatem suam fidei operibus ornare cupientes, eremiticam vitam ducere elegerunt. Et quoniam inveni eos humiles ac quietos, elegi potius cum illis abjectus esse, magis quam in regalibus curiis habitare (*Psal. LXXXIII, 11*). Sed quia omnium nostrum *erat cor unum et anima una* (Act. IV, 32), elegimus omnes simul habitare, comedere et bibere pariter, et in eadem domo dormire. Sicque me licet invitum sibi prætulerunt. *Non enim dignus eram solvere corrigiam calceamentorum* (Marc. I, 7) eorum.

Et cum vitam monasticam ita duceremus juxta normam probabilium Patrum, ostenderunt mihi præfati fratres scripta sanctorum Phagani et Diruviani, in quibus continebatur, quod duodecim discipuli sanctorum Philippi et Jacobi, ipsam vetustam ecclesiam construxerunt in honore prælibatæ Advocatricis nostræ, per doctrinamentum beati archangeli Gabrielis. Insuper et quod Dominus eamdem ecclesiam cœlitus in honore suæ Matris dedicaverat, et quod tres reges pagani, ipsis duodecim ad eorum sustentamentum duodecim portiones terræ dederunt; nec non et in scriptis recentioribus inveni, quod sancti Phaganus et Diruvianus perquisierant ab Eleutherio papa, qui eos miserat, triginta annos indulgentiæ. Et ego frater Patricius a piæ memoriæ Cœlestino papa duodecim annos tempore meo acquisivi.

Post multum vero temporis, assumpto mecum Wellia confratre meo, per condensitatem silvæ cum magna difficultate conscendimus cacumen montis qui eminent in eadem insula. Quo cum pervenissemus, apparuit oratorium unum vetustum et fere dirutum, habile tamen devotioni Christianæ, et (prout mihi videbatur) a Deo electum. Quod cum ingressi essemus, antea odoris suavitate replebamur, ut in paradisi amœnitate positos nos crederemus. Egrescentes igitur et reingredientes, locumque diligentius perscrutantes, invenimus volumen unum in quo scripti erant Actus apostolorum, pariter cum actis et gestis sanctorum Phagani et Diruviani, ex magna parte consumptum; in cujus tamen fine voluminis invenimus scripturam quæ dicebat quod prædicti Phaganus et Diruvianus, per revelationem Domini nostri Jesu Christi idem oratorium ædificaverunt in honore sancti Michaelis archangeli, quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores, jubente Deo, est introducturus. At cum delectaret nos illa scriptura, nitebamur eam ad finem legere. Dicebat enim eadem scriptura quod venerandi Phaganus et Diruvianus moram ibi fecerunt per novem annos, et quod ipsi etiam perquisierant triginta annorum indulgentiam omnibus Christicolis locum ipsum ad honorem beati Michaelis pia voluntate visitantibus. Invenito ergo tanto divinæ bonitatis thesauro, ego et frater Wellias tribus mensibus jejunavimus, orationibus vacantes et vigiliis, dæmonibusque et belluis multiformiter apparentibus imperantes. Quadam autem nocte cum me sopori dedissem, apparuit mihi Dominus Jesus in visa dicens: Patrici serve meus, scias me elegisse locum istum ad honorem nominis mei, et ut hic honoranter invocent adiutorium archangeli mei Michaelis. Et hoc tibi signum et fratribus tuis, quatenus et ipsi credant: brachium tuum sinistrum arescet, donec quæ vidisti annuntiaveris fratribus qui in cella sunt inferiori, et denuo hic redieris. Et factum est ita.

Ab illo die statuimus duos fratres in perpetuum ibi, nisi pastores futuri ob justam causam aliter decreverint. Arnulpho autem et Ogmar Hibernicis fratribus qui mecum venerant de Hibernia, pro eo quod ad exhortationem meam apud dictum humiliter oratorium manere cœperunt, præsentem paginam commisi, aliam similem in arca sanctæ Mariæ retinens, in monumentum posteris. Et ego frater Patricius per consilium fratrum meorum, omnibus qui silvam ex omni parte præfati montis (*Psal. LXXIII, 6*) in securi et ascia, pia intentione dejecerint, ut facilius paretur aditus Christianis, ecclesiam

beatæ perpetuæque Virginis pie visitantibus, centum dies veniæ concedo.

De Tribus Habitaculis Liber

CAPUT PRIMUM.

De tribus habitaculis, regno Dei, mundi, inferno. Regni Dei bona, et inferni mala.

Tria sunt sub omnipotentis Dei manu habitacula, primum, imum, medium: quorum summum regnum Dei vel regnum cœlorum dicitur; imum vocatur infernus; medium mundus præsens vel orbis terrarum appellatur. Quorum extrema omnino sibi invicem sunt contraria, et nulla sibi societate conjuncta. Quæ enim societas potest esse lucis ad tenebras, et Christi ad Belial (II Cor. VI, 14, 15)? Medium autem nonnullam habet similitudinem ad extrema. Unde lucem et tenebras habet, frigus et calorem, dolorem et sanitatem, lætitiã et mærorem, odium et amorem, bonos et malos, justos et injustos, dominos et servos, regnum et subjectionem, famem et satietatem, mortem et vitam, et innumera hujusmodi. Quorum omnium pars una imaginem habet regni Dei, pars altera inferni. Commixtio namque malorum simul et bonorum in hoc mundo est; in regno autem Dei nulli mali sunt, sed omnes boni; at in inferno nulli boni, sed omnes mali: et uterque locus ex medio suppletur. Hominum enim hujus mundi, alii elevantur ad cœlum, alii trahuntur ad infernum. Similes quippe similibus junguntur, id est, boni bonis, et mali malis; justis homines justis angelis, et transgressores homines transgressoribus angelis; servi Dei Deo, servi diaboli diabolo: benedicti vocantur ad regnum sibi paratum ab origine mundi, maledicti expelluntur in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 34, 41).

Bona autem regni cœlestis dicere, vel cogitare, vel intelligere ut sunt, nullus potest carne vestitus: multo enim majora et meliora sunt, quam cogitantur et intelliguntur; unde scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I Cor. II, 9). Regnum namque Dei omni fama majus, omni laude melius, omni scientia innumerabilis, omni gloria quæ putatur, excellentius. Mala etiam inferni dicere vel cogitare, ut sunt, nemo potest: pejora quippe sunt valde quam cogitantur. Regnum itaque Dei plenum est lucis, et pacis, et caritatis, et sapientiæ, et gloriæ, et honestatis, et dulcedinis, et dilectionis, et melodiæ, et lætitiæ, et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest. At locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest. Cives cœli sunt justis homines et angeli, quorum rex est Deus omnipotens; at contra cives inferni sunt impii homines et dæmones, quorum princeps est diabolus. Satiat justos visio sanctorum hominum et angelorum, et super omnia ipsius Dei. Cruciat impios et peccatores visio hominum damnatorum et dæmonum, et super omnia ipsius diaboli. Nihil in regno Dei desideratur quod non inveniatur: at in inferno nihil invenitur quod desideratur. In regno Dei nihil invenitur, nisi quod placet, et delectat, et satiat; at contra in lacu miseræ perennis nihil videtur, nihilque sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. (In regno æterno erit vita sine morte, veritas sine errore, felicitas sine perturbatione.) Omne bonum in regno Dei abundat, et nullum malum; omne malum in carcere diaboli abundat, et nullum bonum. Nullus indignus in regno Dei suscipitur; nullus vero dignus, nullus justus ad infernum trahitur.

CAPUT II.

De pœnis infernalibus.

Principalia autem sunt duo tormenta in inferno: frigus intolerabile, et calor ignis inextinguibilis. Unde in Evangelio legitur: Illic erit fletus et stridor dentium (Matth. XIII, 51; XXII, 13, et XXV, 30). Fletus namque et liquefactio oculorum ex calore nascitur; stridor vero dentium ex frigore nascitur. Hinc etiam beatus Job: De aquis, inquit, nivium transibunt ad calorem nimium (Job. XXIV, 19). De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera; videlicet, sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fetoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustię, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermibus conscientię, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseræ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi post visionem ejus, quæ sola omnia supra dicta superat, et omnibus pœnis intolerabilior.

CAPUT III.

De his quos pœnæ æternitas a mundi voluptate non deterret. Inferni duplex pœna. Anni 100 nulla æternitatis portio.

Væ igitur illis perenne qui subire hæc omnia mala etiam sine fine merentur, pro delectabili unius

horæ somnio: tanta etenim et talis est omnis hujus mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. Melius erat eis, quod dictum est de infelice Juda (Matth. XXVI, 24), non nasci, quam malis suis meritis plagas inferni sustinere. Quid stultius, quid insanius est, quam umbra et imagine et similitudine veræ gloriæ et veræ delectationis, veræ pulchritudinis, veri decoris, veri honoris, more infantium, decipi et superari; et ipsam veram gloriam non quærere, non desiderare? Quis imaginem auri in aqua, ipso auro neglecto, eligeret; et non statim a cunctis fatuus et insanus crederetur? Quis orbem solis in speculo redditum, vel in qualibet materia formatum plus diligeret, quam ipsum solem; et non ab omnibus derideretur? Sic irridendus, imo dolendus est, quisquis mundi hujus caducam fragilitatem et inutilem carnis voluptatem diligit, quærît, contendit, æterna gloria contempta, et neglectis regni cœlestis ineffabilibus gaudiis. Hoc commercium insipientium valde est, et miserorum, et cor sanum non habentium, etiamsi plagæ inferni non sequerentur, quæ nec dici nec cogitari possunt. Duplex vero plaga est, abesse a regno Dei, et esse semper in inferno, id est, cum diabolo damnari; præsentiam amittere angelorum, et terribilem dæmonum semper pati præsentiam. Quantum caveri, vitari, metui debet, nullo modo dici potest. Quis cum sano sensu pro unius diei deliciis, centum annorum pœnam eligeret? Et miseri tamen et sine ulla sapientia, voluptatem carnis sequentes, non vitant, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, sed omnium sine fine sæculorum pro quadraginta vel sexaginta annorum deliciis, vel qualibet corruptibili delectatione. Quantum autem interest inter unum diem, et centum annos; non tantum utique, sed plures interest inter quadraginta vel sexaginta vel centum annos, et æternitatem, sive in bono, sive in malo futuram. Unus enim dies aliqua portio est in centum annorum spatio, quamvis valde modica: at vero centum annorum spatium nulla portio est in illa æternitate. Si enim, verbi gratia, centesima vel millesima pars esset æternitatis, prædictum ejus spatium post centuplum ejus spatium vel milluplum æternitas esse desineret: quod ratio non sinit æternitatis, quæ si ullo modo, ullo tempore finiretur, æternitas omnino non esset.

CAPUT IV.

A via lata ad arctam migrare. Beatorum felicitas, scientia, sortis suæ amor. De ineffabili visionis Dei suavitate.

Fortiter ergo carnali resistendum est voluptati, fortiter contra fallaces hujus mundi blanditas pugnandum est, contraque multimodas Satanæ suggestiones vigilandum. Omni studio lata sæculi via vitanda est, quæ ducit ad mortem (Matth. VII, 13); at vero omni cordis desiderio via angusta quæ ducit ad vitam, adeunda est et appetenda. Via hæc angusta est via abstinentiæ, et castitatis, et humilitatis, et omnis religionis; quam viam ante nos Christus attrivit, qua via ad suum regnum migravit. Cujus vestigia et nos sequamur, donec post eum ad urbem regiam perveniamus in qua ipse regnat. De qua urbe quidquid homo dixerit, quasi stilla de mari est, vel quasi scintilla de foco. In qua videlicet urbe fulgebunt justi sicut sol (Matth. XIII, 43), ut Dominus ait. Ubi summa pax erit, summa quies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nec senectus, nulla mors, nec ulla nox, nullum cibi desiderium, nullum sitis incendium; sed cibus et potus omnium erit visio Christi et sanctæ Trinitatis, et contemplatio puro cordis oculo ipsius Divinitatis, et assidua lectio, ut ita dicam, libri vitæ, id est, æternæ veritatis et summæ sapientiæ, et Verbi Dei, quæ est Jesu Christi visio; ubi quidquid nunc nos latet, manifestius erit; ubi ratio manifesta erit cur hic electus est, et ille reprobatus; cur hic in regnum assumptus, et ille in servitutem redactus; cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juventute, alius in senectute; cur alius pauper est, alius dives; cur filius adulteræ baptizatur, et aliquando filius legitimæ conjugis ante baptismum moritur; cur qui bene incipit vivere, aliquando male finit; et qui male incipit, sæpe bene finit. Hæc omnia et hujusmodi multa in libro vitæ plana et aperta erunt. In eadem urbe præmium singulorum, omnium; et omnium, per caritatem singulorum erit. Ibi omnium bonum omnibus patebit. Ibi omnes invicem suas cogitationes cognoscent. Ibi nullus superior superbus erit, nullus inferior invidus. Quomodo enim qui omnes sicut seipsum diliget, alicui invidere poterit; cum nemo sibi ipsi invideat? Ibi nullus melius esse vel superius concupiscet quam erit, quia aliter esse quam quod meruit, nec esset decorum; nec aliter esse desiderabit quam quod erit, quia ita esse ut erit, pulchrum erit, non solum sibi ipsi, sed etiam universo corpori Ecclesiæ cœlestis. Quomodo enim quodlibet membrum in corpore, si superius vel inferius ponatur quam natura constituit, monstruosum efficit corpus et turpe; sic nimirum si aliquis in regno Dei superius ordinetur, quam postulat ars et voluntas omnipotentis artificis, turpitudinem efficiet, non solum sibimet, sed omni congregationi; in qua qui erit minimus, majorem sine dubio habebit gloriam, quam totum habens mundi regnum, etiam si æternum esset. Vile enim valde est elementis frui, in comparatione fruendi et gaudendi ipso Deo, et visibilibus delectari et corporalibus. Tanta est enim pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis et sapientiæ, ut etiamsi non liceret amplius manere in ea quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis in circumfluentia corporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est: Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia (Psal. LXXXIII, 11).

Nihil est comparandum delectationi et gaudio quod nascitur ex invisibilibus et incorporeis, et ex societate angelorum et justorum omnium, et ex certa scientia et cognitione ipsius divinæ naturæ, et ex

Dei ipsius facie ad faciem visione. Cujus pulchritudinem mirantur angeli, cuius imperio suscitantur mortui, cuius sapientiæ non est numerus (Psal. CXLVI, 5), cuius regnum finem nescit, cuius gloria nequit narrari; cuius lux tam solem obscurat, ut ejus comparatione nullam habeat sol lucem; cuius dulcedo tam mel superat, ut ei comparatum velut absinthium sit amarissimum; cuius faciem si omnes carcere inferni inclusi viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent; cuius præsentia si in inferno cum sanctis habitatoribus appareret, continuo infernus in amœnum converteretur paradisum; cuius sine nutu nec folium de arbore cadit; cuius oculi flammivomi profundum penetrant inferni; cuius auris tacitam cordis vocem audit, id est, cogitationem; cuius oculus non minus audit quam videt; cuius auris non minus videt quam audit, quia non corpus sunt, sed summa sapientia et certa cognitio. Cujus deliciæ sine fastidio satiant: quæ cum a beatis inveniuntur, semper tamen desiderantur, et esuriam et sitim sine pœna efficiunt, et ardenti semper desiderio delectant. Cujus secreta mirabilia, videntibus ea semper nova sunt et mira, et non plus cum incipiunt videri, pariunt stuporem cernentibus, quam post mille annos et millies mille. Et cum angeli ab initio mundi ea soliti sint videre, tamen non minus hodie admirantur ea quam in primo die; alioquin dudum coram angelis assiduo videndi usu vilescerent. Cujus cognitionis præterita et futura, non præterita et futura, sed præsentia sunt.

CAPUT V.

Deo omnia præsentia sunt, sine libertatis humanæ præiudicio. Dei locutio et laus. Existentia ante tempus. Malum verum pejus falso. Dei visio quid beatis conferat. Dei æternitas; Dei scientia.

Unde non diem iudicii videbit, et primum diem sæculi non vidit; sed utrumque videt. Cujus præscientia neminem cogit ad peccandum, ut multi errantes dicunt. Si enim, inquiunt, præscivit Deus Adam peccaturum esse, non peccare non potuit. Ex quo errore nascitur Deum causam esse peccati, quod nefas est dicere. Et illi tamen etiam suis verbis alligantur. Si enim quod præscientia Dei habet necesse est fieri, ideo voluntate propria homo peccavit, et non aliqua necessitate, quia in præscientia Dei fuit ut voluntate et libero arbitrio, et non necessitate cogente, peccaret. Si ergo præscientia Dei non potest vitari, non potuit homo aliter peccare nisi voluntate, nulla alia vi cogente, quia ita Deus præscivit illum peccaturum. Si ergo voluntarie, non coactus est. Si enim non coactus est ad peccandum, potuit sine dubio non peccare si vellet; ideoque pœnam meruit, quia non invitus peccavit; alioquin a Deo pœnam mortis non susciperet. Cujus locutio est occulta inspiratio, qua mentibus suam voluntatem et suam caritatem invisibiliter ostendit; quam videndo Angeli per omnia Deo obediunt. Cujus laus est qua electos laudabit, manifestatio qua suorum electorum bona omnibus monstrabit; assidua autem laus qua electi eum laudabunt, est admiratio ejus perennis. Qui miro modo non tempore præcessit mundum et tempus (nullius enim horæ spatio fuit ante mundum); et tamen semper erat sine initio. Non enim erat tempus ante tempus, tempus autem cum mundo concreatum est. Si igitur tempus ab initio mundi cœpit currere, ante mundum factum non erat. Ideoque nullo tempore, ut prædiximus, præcessit Deus tempora et mundum eis coævum, imo paulo eis priorem; ejus enim motu cœperunt currere. Quidquid movetur, suum motum præcedit. Ineffabili enim æternitate præcessit Deus mundum, non tempore. Cujus tempus ante mundum non erat. Cujus lux tenebras depellit ignorantia; cuius aliqua particula hæc omnia quæ diximus, vera et certa esse cognoscimus. Eadem luce melius esse verum quam falsum videmus; et tamen pejus esse verum malum vel verum peccatum, quam falsum malum vel falsum peccatum: non quia verum est, sed quia malum vel peccatum est [sed ideo malum vel peccatum est, quia verum malum vel peccatum est]. Aliter enim non posset esse malum vel peccatum, nisi verum esset malum vel peccatum; falsum enim malum non est malum, ut falsum argentum non argentum est. Potest aliquis a veritate dicere malum vel peccatum exortum esse vel factum, et quodam modo opus esse veritatis malum, quod omnino falsum est. Omne enim verum a veritate est, et omne verum in quantum verum, bonum est: a veritate igitur est verum esse, ut sit malum vel peccatum, non ipsum malum vel peccatum; aliud namque est ipsum malum, aliud verum esse illud. Quamvis igitur ipsum malum bonum non est, bonum est tamen verum esse ut sit illud. Nisi enim bonum esset esse malum, nullo modo sineret Deus illud fieri. Multa quippe bona de malis Omnipotens facit, ut de adulterio hominum bonos format et facit homines. Si autem et quadam illius lucis particula quasi per angustas rimas infusa, hæc et alia omnia quæ novimus, vera esse cognovimus; quali et quanta luce scientia et sapientia illic illustrabimur, ubi ipsum solem veritatis facie ad faciem videbimus, id est, certa et vera sapientia cognoscemus? cuius præsentia similes ei facit præsentia. Qui enim veræ sapientia, veræ pulchritudini, veræ æternitati adhærebit, sapiens utique et pulcher et æternus erit. Sic enim absentia ejus dissimiles ei omni modo facit. Cujus æternitas sine initio et sine fine est (si enim esset tempus quando non esset, quis eum faceret?); quia ipse est solus Deus, et ante ipsum Deus alius non erat, nec est, nec erit. Non forte seipsum creavit, cum nihil seipsum creat; qua enim potentia qui omnino non esset seipsum faceret? Restat igitur quod omnino factus non est Deus. Cum ergo nullo modo Deus factus est, sine initio ante omnia erat. Quidquid enim factum est, initium habet; et quidquid initium habet, sine dubio factum est, non ab alio nisi a Deo non facto, sed omnia faciente. Cujus scientia sine ulla varietate cognitionis, et sine ullo cursu huc et illuc innumerabilem veritatem omnium creaturarum; angelorum, hominum, stellarum, arenarum, capillorum, verborum, cogitationum, momentorum

omnium, simul et semel comprehendit et intelligit. Fons igitur et origo omnis scientiæ Deus est: quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet.

CAPUT VI.

Beatorum scientia. De trina visione, corporali, spiritali, intellectuali.

Incomparabiliter ergo totius mundi regnum, ut supra diximus, et si æternum esset, præcellit, societati angelorum et sanctorum, et præsentis ipsius Dei adesse visioni. In cuius visione trina scientia nascitur: id est, homo qui cernit, et Deus qui cernitur, et cæteri omnes omnia videbunt et intelligent. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nos ipsos, et ipsum speculum, et quidquid præsens adest videmus; sic per speculum divinæ claritatis, et ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum possibile erit creaturæ, et nos ipsos, et cæteros vera et certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum, et ipsius inferni, videndo Deum videbimus. Tunc justis manifestum erit quomodo Deus est invisibilis incomparabilis, sine initio et sine fine, ante omnia et post omnia: quidquid interest inter nasci, quod ad Filium pertinet; et procedere, quod ad Spiritum sanctum, excepto quod unus ex uno natus sit, alter ex duobus processit; et quomodo Pater non præcessit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum; et quomodo omnia Dei unum sunt in Deo, excepto quod ad relationem pertinet; nam sapientia Dei et veritas et æternitas non diversa sunt inter se, sed unum sunt cætera omnia: sapientia enim Dei non magis sapientia quam veritas est, et non magis veritas est quam sapientia, quam æternitas, quam cætera Dei omnia; unum enim sunt in Deo, et non solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quam ipse Deus; et quomodo mundus erat in Deo, antequam in seipso esset, non mundus, sed Deus; et quomodo ubique totus sine loco, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate; et quomodo omnia penetrat munda et immunda sine sui pollutione. Si enim lux ista visibilis omnia loca illustrat, et sterquilinia etiam penetrat sine fetore, et sine sui pollutione, quanto magis Deus, qui est invisibilis et incommutabilis lux, omnia penetrat, regit, sustinet, circumdat, illustrat, sine ulla mutatione vel pollutione, non solum cœlestia et terrestria, sed etiam infernalialia?

Tunc erit electis Dei trina visio, id est, corporalis, qua corpora cernentur; quorumdam splendentia ut sol, quorumdam ut luna, aliorum ut stellæ. Et spiritalis, qua similitudines corporum in spiritu et non fallaci phantasia inspicient: qua visione etiam hodie fruuntur spiritus justorum post corporum claustra: et visio intellectualis, qua puro mentis oculo in spiritu Deum videbunt, et suas animas, et virtutes intimas, et spiritus angelicos. Tunc duplices Deo acturi sunt gratias, videlicet pro sua liberatione a perpetua damnatione, et pro honorum ineffabili retributione. Tunc communis omnium reus et hostis diabolus in conspectu electorum Dei damnabitur: cuius damnatio et intolerabilis pœna delectabile spectaculum præstabit electis. Tunc ardentissimo amore liberatorem suum et omnium bonorum datorem amabunt, et sine fine et sine fastidio clamore cordis laudabunt Deum omnipotentem, benignum et misericordem: cui honor et gloria et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE DUODECIM ABUSIONIBUS SÆCULI. TRACTATUS, PERPERAM CYPRIANO ET AUGUSTINO ADSCRIPTUS.

CAPUT PRIMUM.

Primus abusio gradus est, si sine bonis operibus sapiens et prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ, dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera a prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Numquam enim fit efficax constituentis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis, præsertim cum et ipse doctor, si in vitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis vulneribus adhibere parvipendit. Unde et ipse Dominus in Evangelio de doctrina pariter et bono opere instruere volens discipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens: *Quod si sal evanuerit, in quo salietur (Matth. V, 13)?* Hoc est, si doctor erraverit, a quo iterum doctore emendabitur? *Et si lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt (Matth. VI, 23)?* Si namque oculus a videndi officio desierit; quis a manu, vel a pede, vel a reliquo corpore illud ministerium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ subjaceant, si plurimis perditionis occasionem abundantius præsentent. Nam et ipse Salomon dum multæ sapientiæ transgressionem incurrit, totius Israeliticæ plebis regni dispersionem solius sui merito præstitit. Quibus ergo committuntur multa, majora perdunt; si non recte dispensaverint rectoris sui munera, quæ perceperunt. Cui enim plus committitur ab eo plus exigitur. *Et servus qui domini sui voluntatem intelligens non facit, acrioribus et gravioribus flagellis vindictæ vapulabit (Luc. XII, 47).*

CAPUT II.

Secundus abusio gradus est, si sine religione senex esse inveniatur. Cui cum membra exterioris hominis veterascunt; vires animi, id est, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt.

Plus enim omnibus religioni operam dare senibus competit, quos præsens sæculi florida ætas transacta deseruit. Sicut namque in lignis ipsa reprobata arbor comparet, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet: sic et in hominibus ipse reprobatus est, quem flos juventutis deseruit, et tamen in sui corporis senectute, bonorum operum maturos fructus proferre parvipendit. Quid enim stolidius fieri potest; si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatu non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos et pedes tumor inflat; etiam homo interior qui non senescit, his omnibus aggravatur. Et hæc omnia ruituram jamjamque domum corporis cito prænuntiant. Quid ergo superest, nisi ut dum hujus vitæ defectus appropinquat, nihil aliud cogitare quam quomodo futura habitatio prospere comprehendatur, quisque senex appetat? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus instat, senibus vero cunctis maturior ex hac luce exitus breviter concordat. Cavendæ sunt ergo homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem secum ad peccatum pertrahunt; cor videlicet et lingua: quia cor novas semper cogitationes machinari non desinit; lingua impigre loquitur, quodcumque machinari cor senserit. Caveat ergo senilis ætas, ne istæ juvenescentes particulæ totam sui harmoniam decipiant, et per res ineptas reliqui corporis gravitatem illudant. Unicuique enim considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit; ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec ministerium vile reddat.

CAPUT III.

Tertius abusionis gradus est, adolescens sine obedientia; quo mundus a recte rationis ordine depravatur. Qualiter namque in senectute aliis ministerium imperabit, qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit? Unde et in proverbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui servitutem præbere denegat. Propter quod et Dominus Jesus in temporibus suæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non pervenerat, obedienter ministrationem parentibus suis præstitit. Sicut ergo in senibus sobrietas, et morum perfectio requiritur: ita etiam in adolescentibus, obsequium, et subjectio, et obedientia rite debetur. Quapropter et in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris et matris honor imperatur, quia quamvis carnalis pater non supervixerit, aut indignus fuerit; alicui tamen patri digno et viventi, paternus honor usque ad dignam ætatem a filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per Scripturas divinas patres vocantur; hoc est, natura, gente, admonitione, et ætate. De patre namque naturali Jacob ad Laban loquitur: *Nisi timor patris mei Isaac adfuisset, tulisses omnia quæ mea sunt* (Gen. XXXI, 42). Gente vero pater dicitur, quando Dominus de rubo ad Moysen loquebatur: *Ego sum, inquiens, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (Exod. III, 6). Ætate autem et admonitione pariter pater dicitur, cum Moyses in cantico Deuteronomii loquitur: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* (Deut. XXXII, 7). Quod si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit; admonenti tamen aut seniori adolescentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in senectute apparebit, qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcumque etenim homo laboraverit, hoc et metet. *Omnis namque disciplina in præsentibus non videtur esse gaudii, sed mæroris; postea vero fructum pacatissimum exercitatio per eam reddet justitiæ* (Heb. XII, 11). Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit: sic et in senectute honorem legitimum assequi non poterit, qui in adolescentiæ disciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Disciplina igitur absque obedientia, qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine disciplina, adolescens sine obedientia est: quoniam et ipsa obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget; quæ sui normam studii in Christo Domino sumpsit, qui obediens patri usque ad mortem, crucis ignominiam libenter sustinuit.

CAPUT IV.

Quartus abusionis gradus est, dives sine elemosyna; qui superflua usus sui quæ custodienda in posterum recondit, indigentibus et nihil habentibus non distribuit: per quod efficitur, ut dum in terra quæsita diligenti cura custodit, cœlestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum Dominus Jesus adolescentem divitem, qui cum de perfectione interrogaverat, ita respondens invitavit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo* (Matth. XIX, 21). Quem thesaurum nullus umquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut per seipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris tuis, quod pauperes dormire non sinit. Dives namque etsi multa congregaverit, his frui solus nequaquam poterit; quia unius hominis natura multis rebus non succurrit. Quid ergo stultius est quam propter unius hominis victum et vestitum, totam regni cœlestis perdere perennem jucunditatem, et æternos inferni cruciatus, absque consolationis præstolatione subire? Quod igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. *Omnia enim quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt* (II Cor. V, 18). Quamdiu namque temporales sumus, temporalibus temporalia deserviunt, et cum hinc transierimus, æternis æterna solatia præstabuntur. Idcirco non debemus diligere ea quæ non semper habebimus; præsertim cum expertem rationis avarum

divitem, thesauri sui et agri, et omnia quæ habet, ostendant; quia toto cordis intuitu illas res amat quæ numquam se diligunt. Si enim aurum et argentum, et agros, et vestimenta, et cibos, et metalla, et bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse, ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo a ratione longius est quam diligere, quod te amare non valet; et negligere illum, qui tuæ dilectioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus a Deo præcipitur; quia proximus vicem sui amoris potest rependere, quod mundus minime posse non dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit, ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus vult æternas habere divitias, distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diliget non vendit, nemo potest emere quod cupit. Avari namque ideo in iudicio a rectissimo iudice nuncupantur maledicti, quia qui præteribant eorum habitacula non dicebant: *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini (Psal. CXXVIII, 8)*. Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias, in æternam damnationem dilabuntur; et e contrario: *Beati sunt misericordes, quia misericordiam consequentur (Matth. V, 7)*. Felix est ergo misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed affectum Deus requirit.

CAPUT V.

Quintus abusiois gradus est, femina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat et custodit in viris prudentia, sic et in feminis cunctos honoris actus nutrit et fovet et custodit pudicitia. Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrænât, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit; et omnes virtutes, et quidquid coram Deo et bonis hominibus laudabile est nutrit. Impudica namque vita nec laudem ab hominibus in præsentî sæculo, nec remunerationem a Deo exspectat in futuro. Pudica vero vita, famam bonam inter homines habet, et de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur et consentit, et assiduis Scripturarum meditationibus et eloquiis animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla custodit, et inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiaexercitatio, id est corporis habitu et superficie et animi affectu inferno. Per exteriorem modum coram Deo, providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est, alienas res non appetere, et omnem immunditiam devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana et falsa non loqui; habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem tam capillorum quam vestium, sicut decet, habere; cum indignis contubernia non inire; supercilioso intuitu neminem aspicere, vagari oculos non permittere; pompatico et illecebroso gressu non incedere; nulli inferior in incæpto bono opere apparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, senes non irridere, bonis non invidere, meliori non controversari; de his quæ ignoras, non tractare, et ea quæ scis non omnia proferre: hæc enim proximis amabilem hominem reddunt, et Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia enim animæ est, plus propter Dei oculos quam hominum omnia bona facere; appetitiones turpium cogitationum compescere; omnes meliores se esse æstimare, nemini invidere; de semetipso nihil confidere, Dei semper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, hæretica pravitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire; Deo soli adhærere, castitatem æternæ mentis Deo Christo offerre; omnia cœpta opera bona mortis tantum termino finire; præsentibus tribulationes animi fortitudine negligere, parvipendere; in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris thesaurum in cœlo constituere, et pro omni bono actu mercedem a Deo in cœlestibus sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.

CAPUT VI.

Sextus abusiois gradus est dominus sine virtute, quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ et ipsa sæcularibus dominis necessaria est, quam animi interiori fortitudine, exerceri debet. Sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur; qui dum severitate iudicis peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam, Dominus velut consentienti ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur dominus pariter et metuatur, ordinatio illius constare minime potest. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur, et per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit; qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fortiter firmitur, et alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur; et ipse solutus a rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic et princeps nisi suo Conditori pertinaciter adhæserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque, accepto populi ducatu, familiaris Dei

locutionibus utebatur: Saul vero, filius Cis, postquam scepra regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad innumerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditavit. E contrario vero Hieroboam, servus Salomonis, postquam regni domus David occupavit partem, ad idolorum cultum decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, diverterat. Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur eos qui ad meliora transcendunt, per virtutem animi et Dei auxilium posse id facere, et eos qui ad deteriora devertuntur, per mentis imbecillitatem pariter et negligentiam errare. Unde et dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel adversitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest, hoc primitus animi tota intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere ejus dominatum: *Non enim est potestas nisi a Deo (Rom. XIII)*. Ipse enim elevat de stercore egenum, et sedere facit cum principibus populi sui, et deponit potentes de sede, et exaltat humiles; ut subditus fiat omnis mundus Deo et egeat gloria Dei.

CAPUT VII.

Septimus abusio gradus est Christianus contentiosus, qui, cum participationem nominis Christi per fidem et Baptismum susceperit, contra Christi dicta et propositum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur, aut propter propriam ejus rei dilectionem de qua agitur, aut propter alterius amorem, quæ sub odiosa specie latet, appetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animoso compugnantium conflictu cum odiosa res sit, propter amorem victoriæ et libertatis peragitur; et multæ aliæ dilectæ species, sub odioso labore vel formidine, satis contentiose expetuntur. Unde patenter intelligitur nihil contendere posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet et subsequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsentem ex quacumque causa contendit, perspicue ostendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus sancti sermones interdicunt, qui ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt (I Joan. II, 15)*. Mundi enim amor et Dei pariter in uno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter et terram nequaquam conspiciunt. Sed requirendum est si vere in mundo aliquid sit quod amari debeat, et quis sit ille mundus, quem diligi divina eloquia vetant. Terra ergo cum nascentibus ex ea, et metallis, et animantibus, et pulchritudine vestium, et oblectationibus ciborum, et iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur; sed proximus, propter quem hæc omnia facta sunt, amari jubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non mansura, ad cœlestem patriam pergentes concomitari nequeunt. Proximi vero velut mansuri regis cohæredes, semetipsos licenter invicem diligunt. Quod ergo semper in mundo non manet, et cum mundo pariter deficiet, et ipse mundus non amari præcipitur; proximus autem, qui est pars regni cœlestis, in terra et inter ima elementa, a regni cœlorum appetitoribus non incongrue amatur, dum in suprema illa patria in æternum cohæres habebitur. Propterea vero mundus præsens non diligi imperatur, ne a Dei dilectione alienus, sæculi dilector quisque efficiatur. Non ergo debet contendere, quod non licet amari. Igitur Christianus, qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoque ejus similitudinem habere debet. Christianus enim nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus cœquatur. De Christo vero per Prophetam ita scribitur: *Ecce filius meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo sibi anima mea: ponam Spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus (Is. XLII, 1; Matth. XII, 18)*. Ecce Christus non contendit, neque clamavit: et tu si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas, ne abusivus in Ecclesia Christianus existas. Suis enim sectatoribus Christus præcepit: *Nolite vocari rabbi; unus est enim pater vester, qui in cœlis est. Omnes enim vos fratres estis (Matth. XXIII, 8)*, quibus ad supplicandum imperavit, cum dicit: *Sic autem orabit: Pater noster qui in cœlis, sanctificetur nomen tuum (Matth. VI, 9)*. Frustra ergo contendit patrem se habere in terra, qui patrem et patriam profitetur se habere in cœlo. Cujus patriæ nemo possessor efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur.

CAPUT VIII.

Octavus abusio gradus est, pauper superbus, qui, nihil habens, in superbiam extollitur: cum e contrario divitibus sæculi non superbe sapere per apostolum Paulum imperetur. Quid ergo stolidius potest fieri quam illum qui per infirmam miseriam velut in terram abjectus, extremus et humilis incedere et contristari debuerat, supercilioso superbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapsi corrueverunt, qui in summo cœli conditi erant culmine. Quid ergo vult quasi potens in terra superbire, qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed, ne de paupertate sua tristitiam habeant, quid a Deo recepturi sint pauperes attendant; ipse enim inquit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. V, 3)*. Recta namque dispensatione misericors iudex cœli regnum illis committit quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit, ut ipse dives in cœli sede appareat qui in terra penitus nihil procurat. Cavendum ergo pauperibus est ne, dum

per egestatem et necessitatem terrenum regnum prætereunt, per mentis etiam impudentiam cœlorum regna amittant. Cum enim Dei dispensatione paupertatem necessariam acceperunt, in ipsorum arbitrio pendet utrum pauperes spiritu sint. Non quibuscumque namque pauperibus cœli regna promittuntur, sed his tantummodo in quibus divitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis pauper spiritu appellatur, qui, cum egenus foris cernitur, numquam in superbiam elevatur: quoniam ad appetenda regna cœlorum plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene divitias possessas habent, possunt pauperes spiritu appellari: superbos autem nihil habentes, haud dubium est beatitudine paupertatis privari. De quibus utrisque sancta Scriptura ita loquitur: *Est quasi dives nihil habens, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit* (Prov. XIII, 7). Quasi pauper ergo in multis divitiis est dives humilis spiritu; et nihil habens quasi dives est pauper superbus mentis affectu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. Providendum est ergo pauperibus, ut semetipsos, quales sint, intelligant; et quia rebus consequi quod cupiunt non valent, mentis tumore superbire desinant.

CAPUT IX.

Nonus abusiois gradus est, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet: nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam in justitia regis exaltatur solium, et in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est neminem injuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum et proximum suum juste judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et pejerantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum, ariolorum pythouissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non elevare, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. *Væ enim terræ cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (Eccle. X, 10). Hæc regni prosperitatem in præsentia faciunt, et regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, et offencicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, et servitia populorum præpediuntur, multi et varii dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestię armentorum et pecorum greges dilacerant: tempestates aeris et hyemis terrarum fœcunditatem et maris ministeria prohibent, et aliquando fulminum ictus segetes et arborum flores et pampinos exurunt. Super omnia vero regis injustitia, non solum præsentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit. Et propter justitiam David regis, lucernam de semine ejus semper in Hierusalem reliquit (III Reg. XI, 31-35). Ecce quantum justitia regis sæculo valeat, intuentibus perspicue patet. Est enim pax populorum tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimet ipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex quod, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsentia habuit, supra se modo implacabili, in illa pœna futura habebit.

CAPUT X.

Decimus gradus abusiois est episcopus negligens; qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur, quoniam, cum episcopus nomen græcum sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, et quid a speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona, episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquit: *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, et tu non annuntiaveris ut revertatur impius a via sua, ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris, et ille non fuerit reversus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti* (Ezech. III, 17). Decet ergo episcopum, qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere, et postquam attenderit, sermone, si potuerit et actu corrigere; si non potuerit, juxta Evangelii regulam, scelerum operarios declinare: *Si enim, inquit in Evangelio Dominus, peccaverit in te frater tuus, corripue illum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: si illos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 15). Tali

ordine expellendus est quicumque doctori vel episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore vel episcopo non debet recipi. De sacerdote namque scriptum est in lege: *Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem (Levit. XXI, 7)*. Qui ergo illum excommunicatum a catholico, illo non permittente, sibi jungit, iura sacerdotii sancti, in quo Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum, ad eos quibus in speculationem positus est, esse oportet. Cæterum vero, qualis in semetipso esse debeat, Paulus apostolus exponit: ut ad gradum episcopi veniens sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, proferens doctrinæ fidelem sermonem; antequam episcopus sit, non plures habens uxores quam unam; non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, ut per hæc ipse ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ (I *Tim.* III, 2). Caveant ergo negligentes episcopi quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, dicens: *Pastores muti demoliti sunt populum meum, et non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semetipsos (Ezech. XXXIV, 8)*; sed potius procurent hi quos constituit Dominus super familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici, puram scilicet et probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire: *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui (Matth. XXV, 23)*.

CAPUT XI.

Undecimus abusiois gradus est plebs sine disciplina, quæ, cum disciplinæ exercitationibus non servit, communi se perditionis laqueo constringit: iram etenim Domini absque disciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Psalmistæ vocibus indisciplinatæ plebi prædicatur: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus (Psal. II, 12)*. Disciplina vero morum est ordinata correctio et majorum præcedentium regularum observatio. De qua disciplina Paulus apostolus ita loquitur dicens: *In disciplina perseverate; tamquam filiis vobis offert se Deus. Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti estis? Omnes enim adulteri, et non filii estis (Hebr. XII, 8)*. Qui ergo adulteri, sine disciplina sunt, et cœlestis regni hæreditatem non capiunt: si filii autem paternæ disciplinæ correctiones ferunt, et hæreditatem quandoque recipere posse non desperent. De qua etiam disciplina Esaias quidem indisciplinatæ plebi prædicat, dicens: *Quiescite agere perverse, discite bene facere (Isa. I, 16)*. Et ad eandem Psalmista consona voce compellit, dicens: *Declina a malo, et fac bonum (Psal. XXIII, 15)*. Infelix ergo est qui abjicit disciplinam. Audet enim extra milites aliquid qui, Dominum crucifigentes, non ejus sciderunt tunicam, qui Ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur, ita disciplina, omnis Ecclesia, præter Christum, qui caput est Ecclesiæ et sub disciplina non est, protegitur et ornatur. Ipsa vero tunica contexta desuper fuerat per totum, quia eadem disciplina Ecclesiæ a Domino de cœlo tribuitur et integratur. De qua Dominus cum ad Patrem ascendisset, postquam resurrexit a mortuis, ad Apostolos suos loquebatur, dicens: *Vos autem sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (Luc. XXIV, 49)*. Tunica ergo corporis Christi disciplina Ecclesiæ est: qui autem extra disciplinam est, alienus est a corpore Christi. *Non scindamus igitur illam, sed sortiamur de illa cuius sit (Joan. XIX, 24)*; id est, non solvamus quidquam de mandatis Domini, sed unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum.

CAPUT XII.

Duodecimus abusiois gradus est populus sine lege, qui, dum Dei dicta et legum scita contemnit, per diversas errorum vias eundem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis sub persona prævaricatoris populi, humanum genus Propheta ita deplangit: *Nos autem sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit (Isa. LIII, 6)*, de quibus viis etiam Sapientia loquitur per Salomonem: *Multæ viæ videntur hominibus rectæ, et novissima earum deducunt ad mortem (Prov. XIV, 12)*. Quæ utique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad sinistram declinat, per negligentiam deseritur. De qua scilicet via Dominus Jesus Christus, qui est finis legis ad justitiam omni credenti, denuntiat: *Ego sum via, veritas et vita, neque venit ad Patrem nisi per me (Joan. XIV, 6)*. Ad quam viam omnes homines communiter invitat, dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (Matth. XI, 28)*; *quia non est personarum acceptio apud Deum (Rom. II, 11)*, ubi non est Judæus, nec Græcus, masculus et femina, servus et liber, barbarus et Scythia, sed omnia in omnibus Christus: omnes enim unum sunt in Christo Jesu. Dum ergo Christus finis legis est, qui sine lege sunt, sine Christo fiunt. Igitur populus sine lege, populus sine Christo est. Abusivum ergo in temporibus Evangelii populum sine lege fieri, quando Apostolis in cunctas gentes licentia prædicationis data est, quando tonitruum Evangelii per cunctas sæculi partes intonuit, quando Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; quando qui de longe fuerant, facti sunt prope in sanguine Christi: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Christo; quando est tempus acceptabile, et dies salutis, et tempora refrigerii in conspectu Altissimi; quando unaquæque gens habet testem resurrectionis; quando ipse Dominus protestatur, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. XXVIII, 20)*. Non itaque simus sine Christo in hoc tempore transitorio, ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.

Updated editions will replace the previous one—the old editions will be renamed.

Creating the works from print editions not protected by U.S. copyright law means that no one owns a United States copyright in these works, so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United States without permission and without paying copyright royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part of this license, apply to copying and distributing Project Gutenberg™ electronic works to protect the PROJECT GUTENBERG™ concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark, and may not be used if you charge for an eBook, except by following the terms of the trademark license, including paying royalties for use of the Project Gutenberg trademark. If you do not charge anything for copies of this eBook, complying with the trademark license is very easy. You may use this eBook for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports, performances and research. Project Gutenberg eBooks may be modified and printed and given away—you may do practically ANYTHING in the United States with eBooks not protected by U.S. copyright law. Redistribution is subject to the trademark license, especially commercial redistribution.

START: FULL LICENSE
THE FULL PROJECT GUTENBERG LICENSE
PLEASE READ THIS BEFORE YOU DISTRIBUTE OR USE THIS WORK

To protect the Project Gutenberg™ mission of promoting the free distribution of electronic works, by using or distributing this work (or any other work associated in any way with the phrase “Project Gutenberg”), you agree to comply with all the terms of the Full Project Gutenberg™ License available with this file or online at www.gutenberg.org/license.

Section 1. General Terms of Use and Redistributing Project Gutenberg™ electronic works

1.A. By reading or using any part of this Project Gutenberg™ electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to and accept all the terms of this license and intellectual property (trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all the terms of this agreement, you must cease using and return or destroy all copies of Project Gutenberg™ electronic works in your possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg™ electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

1.B. “Project Gutenberg” is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg™ electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg™ electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg™ electronic works. See paragraph 1.E below.

1.C. The Project Gutenberg Literary Archive Foundation (“the Foundation” or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg™ electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is unprotected by copyright law in the United States and you are located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg™ mission of promoting free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg™ works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg™ name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg™ License when you share it without charge with others.

1.D. The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg™ work. The Foundation makes no representations concerning the copyright status of any work in any country other than the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg™ License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg™ work (any work on which the phrase “Project Gutenberg” appears, or with which the phrase “Project Gutenberg” is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this

eBook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you will have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

1.E.2. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is derived from texts not protected by U.S. copyright law (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase “Project Gutenberg” associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg™ trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg™ License for all works posted with the permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg™ License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg™.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg™ License.

1.E.6. You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg™ work in a format other than “Plain Vanilla ASCII” or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg™ website (www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original “Plain Vanilla ASCII” or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg™ License as specified in paragraph 1.E.1.

1.E.7. Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg™ works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.8. You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg™ electronic works provided that:

- You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg™ works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg™ trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, “Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation.”
- You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg™ License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg™ works.
- You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.
- You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg™ works.

1.E.9. If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg™ electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the manager of the Project Gutenberg™ trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3 below.

1.F.

1.F.1. Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread works not protected by U.S. copyright law in creating the Project Gutenberg™ collection. Despite these efforts, Project Gutenberg™ electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain “Defects,” such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

1.F.2. LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES - Except for the “Right of Replacement

or Refund” described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg™ trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg™ electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

1.F.3. LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND - If you discover a defect in this electronic work within 90 days of receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

1.F.4. Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you ‘AS-IS’, WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

1.F.5. Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

1.F.6. INDEMNITY - You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg™ electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg™ electronic works, harmless from all liability, costs and expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this or any Project Gutenberg™ work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg™ work, and (c) any Defect you cause.

Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg™

Project Gutenberg™ is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need are critical to reaching Project Gutenberg™’s goals and ensuring that the Project Gutenberg™ collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg™ and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation information page at www.gutenberg.org.

Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non-profit 501(c)(3) educational corporation organized under the laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation’s EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state’s laws.

The Foundation’s business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation’s website and official page at www.gutenberg.org/contact

Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg™ depends upon and cannot survive without widespread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine-readable form accessible by the widest array of equipment including outdated equipment. Many small donations (\$1 to \$5,000) are particularly important to

maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit www.gutenberg.org/donate.

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who approach us with offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: www.gutenberg.org/donate

Section 5. General Information About Project Gutenberg™ electronic works

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg™ concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For forty years, he produced and distributed Project Gutenberg™ eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg™ eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as not protected by copyright in the U.S. unless a copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our website which has the main PG search facility: www.gutenberg.org.

This website includes information about Project Gutenberg™, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.